MENSIS III.

DIVINI AMORIS.

ſiue

XXXI. Exercitationes

De Optimis infernum fu-
giendi artibus;
ductu, & magiſterio
Amoris Dei.

Propoſitæ

A IOANNE NADASI

SOCIETATIS IESV.

Romæ, Typis Vareſij. 1663.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Ioannes Paulus Oliua
Societatis Ieſu
Vicarius Generalis.

CVm *Menſem tertium Diuini Amoris*, qui eſt de fuga inferni, à P. Ioanne Nadaſi noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſse probauerint; poteſtatem facimus, vt typis mandetur, ſi ijs ad quos pertinet, ita videbitur. cuius rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas ei dedimus. Romæ 28. Auguſti 1663.

Ioan. Paulus Oliua.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. M. S. P.
O. *Arch. Patracen. Viceſg.*

Imprimatur
Fr. Hyacintus Libellus S. P. Ap. Pro Mag. Ord. Præd.

Digitized by Google

Admodum Reuerendo

P. Noſtro in Chriſto,

P. GOSVVINO NICKEL

Societatis Ieſu
Præpoſito Generali.

Ioannes Nadaſi eiuſd. Soc. ſel.

HAbebat *menſem* ſuum Roma vetus, in quo *fugæ feſta*, ſeu *fugialia*, celebrabat. [a] Siſto & ego tibi A.R.P. menſem Diuini amoris, de *fuga* inferni (poſt *pretioſas occupationes morientium in Societate*, olim tibi à me dedicatas) in quo meliore,

Digitized by Google

quàm veteres ritu, *ſacra fugalia* celebrat diuinus amor. Fugienti hoſti ſternendum eſſe pontem argenteum aiebat vetus, & ore Alphonſi Aragonię Regis celebratum prouerbium. Ego fugientibus infernum Dei amicis aureum diuini amoris pontem ſterno. B. Franciſcus de Sales, & ante ac poſt illum, plures diuino amore flagrãtes animæ, aiebant, feliciſſimum fore in inferno ardere, ſi totus infernus eſſet ignis amoris Dei. Certè B. Franciſcus Borgia, & ipſe ante Te Soc. Ieſu Præpoſitus Generalis, cũ de inferno quotidie cogitaret, aperiebat ſibi ſapientem fugam ad cæ-

lum;& diſcebat magis ama
re Deum in ipſa , vt ſic di-
cã,ſchola inferni. B. Magda-
lena Florentina [b] & ipſa
itabat,& identidem eundum
aiebat ad chorum Seraphi-
norum pro igne amoris Dei
quo ipſi ardent ; vt ab illis
amare diſcamus Deum, qui
nos ob gelu ingrati cordis
noſtri non abiecit ad flam-
mas inferni. Igneâ Seraphi-
norum pennâ hic eſſet opus,
Vtinã Seraphinus ille .c. qui
(vt id narrat Ludouicus de
Ponte) de curru igneo de-
ſcendens felicem illam ani-
mam è lecto vt ſurgeret iu-
uit, iuuet nos quoq; ad ſur-
gendum; ſecumq; igneo di-
uini amoris currui impo-

nat: vt illo magiſtro fugiamus infernum, vbi non amatur Deus; & ad cælum curramus, vbi æternùm amatur infinitè amabilis Deus. Nēpe etiam igne inferni examinatur, ac magis inflammatur in nobis ignis diuini amoris, ſi ſcitè ponderare condiſcamus *pondus ignis æterni* in bilance amoris Dei, qui nos ab illo igne redemit, & hactenus ſeruauit ne iſtic eſſemus vbi tot alij immortaliter ardent, quia hic noluerunt ſeriò diuino amoris igne ardere. Amor ergò Dei ſit incitamentum timoris, & fugæ; ne perdamus optimum, ac pulcherrimū illum Deum, qui charitas,

qui

qui ignis cõſumens eſt. Hoc hîc ago per menſem vnum; & igne inferni ignem diuini amoris accendo: vt igne diuini amoris extinguam ignem inferni; & etiam ipſo igne inferni *ignem ſui amoris accendat Deus in cordibus noſtris*. In inferno nemo amat, nemo amatur: in cælo amant omnes, & amantur. Fugiamus itaq; locum æterni odij Dei; & curramus ad patriam diuini amoris, vbi Deum, ac nos inuicem, amabimus; & à Deo, ac à nobis inuicem amabimur in æternum. Accipe ergo A. R. P. Menſem hunc diuini amoris de fuga inferni, qui aſſiduè ad cælum anhelas, dum in

Digitized by Google

pulchritudine pacis tranquillus inter cæleſtes occupationes, diuino quà legendi, quà precandi, ac de diuinis agendi ſtudio intentus, ſedes, & leuas te ſuper te, anima ſedendo verè ſapiente, & intelligente, ac nouiſſima prouidente. Romæ in Domo Profeſs. die Præſent. Matris pulchræ dilectionis. Anno 1663.

---

a Aug. 2. Ciuit. c 6. & Viues, ac alij.
b Puccinus vitæ p. 2. c. 17.
c Vit. Mar. l. 4. c. 1. §. 2.

ARS

ARS PRIMA
Fugæ inferni.

Amore diuino inflammari ad fugiendum infernum.

1 FVgiamus infernũ; vt infinitè amemus Deum. Amando fugiamus; fugiendo amemus. Quare vt ea, quæ primo, & ſecundo menſe de diuini amoris praxi, ac optimi electione diximus, in vſum deducamus; particulatim ad ſingula, quæ

Digitized by Google

Deo eximiè grata ſunt inueſtiganda, & amore illius exercenda deſcendamus neceſſe eſt. Inter hæc, eſt; vt mouente, docente, ac ducente nos diuino amore fugiamus infernum. Cùm enim ſummè nos amet Deus; vult nobis id quod optimum, & vtiliſſimum eſt. S. Iſidoro teſte .a. *Summum bonum eſt ſcire quid caueas.* Et è mente S. Ioannis Chryſoſtomi, *Gehennæ metu nihil vtilius. Regni nobis affert coronam.* .b. Num, inquit apud eũdem Deus [c] Num ſic ipſi

ſi homines ſuæ ſalutis auidi ſunt, vt ego, cui maximè peculiare eſt velle homines ſaluos fieri? An non propter hoc & *gehennam* minatus ſum; vt in regnum cælorum, huius metu, intrare homines faciam?

2. Hic ergò amor Dei te moueat ad fugiendũ infernum; quia hoc Deo eſt maximè gratum vt infernum fugias, vbi nemo amat Deũ, nec amatur à Deo: & ſic fugiendo intrabis in gaudium Domini tui de te in cælo gauiſuri, te amaturi,

atq; à te amandi æter-nùm. *Vtinam*, inquit deſi-derium tuæ ſalutis veluti ſuſpirio explicans Deus, *Vtinam ſaperent, & intel-ligerent, ac nouiſſima prouiderent!* Nempe illa *nouiſſima*, de quibus pręmiſerat: *Ignis* accenſus eſt in furore meo: & ardebit vſque ad *inferni nouiſſi-ma. Deut.* 32. Ignis accē-ſus in amore Dei oſten-dit tibi ignem accenſum in furore Dei; vt illum fugâ deuites huius arti-bus, atq; ductu.

3. Exple hoc deſideriũ amantis Dei; & dic cum

Tho-

Thoma à Kempis .d. *Da mihi hoc ſemper deſidera- re, & velle quod tibi ma gis acceptum eſt, & cha- riùs placet* . Quid eſt il- lud ? vt longè fugias in- fernum . Dici hic poteſt illud Prophetæ: *Saluabũ- tur, qui fugerint* .e. Inſta- ura ergò identidem fir- mum propoſitum , idcir- cò maturè fugiendi in- fernum, & feſtinandi ad cælum ad amandum iſtic Deum, quia id optimum eſt , & Deo ſummè pla- cet . Beatus , qui ſe vir- tutibus exornat antequã *accẽdatur ignis*, inquit B.

Nilus Ep. & Martyr: *Beatus, qui ad vitam ſempiternam feſtinat*. Hæc obſerues præcepta; vt te reddant *acceptum Deo. Iſtis enim numen gaudet.* Ita ille. f. Ama ergò Deũ: & fugiẽdo infernum, currendo ad cælum. fac id, quo ille *gaudet*. Hoc tibi toto hoc libello clamat Deus, tanquam dilecto ſuo: *Fuge* dilecte mi; & aſſimilare capreæ hinnuloq; ceruorũ. g. Illi, fugiunt breuem mortem, canes, laqueos, venatores; ne illis præda, & cibus fiant: tu fuge

mortem æternam, dæmones; ne ſias præda, & eſca Principis tenebrarum aſſanda igne inferni. Fuge ergò infernum: quia dum hoc facis, facis rem Deo adeò gratam, vt ſine hoc nihil ei gratum facere poſſis vnquã.

---

a De contemptu mundi fol. 166.
b Hom. 15 *ad pop. c H.* 44. *in Geneſ.p.*629. *c: Deut.*37.*v.*22.29.
*d l.*3. *de imit.c.*15. *e Ezech.*7. 16.
*f fol.*188. *p.* 2. *in ſententÿs.*
g Cant 8.14.

ARS

Amoris diuini actus frequentes elicere.

1 HOc eſt accelerare fugam. hi faciunt, vt ne tarditatibus in greſſu mollioribus vtamur in fuga inferni: in qua benè fugit, & *ſuauiter equitat quem gratia Dei portat*, vt loquitur aureus de imitatione Chriſti libellus. Hi actus docent nos fugam intendere. Tot magnis paſſibus diſcedimus ab inferno quot actus amoris

ris diuini elicimus; Ardorem verò pro illis actibus, & viaticum pro fuga tam neceſſaria pete à Chriſto dicente: Habeo claues mortis, & *inferni*. Suadeo tibi emere *à me aurum ignitum probatum*. .a. Ignitum diuini amoris aurum, etiam ab ipſis inferni flammis increſcit; & ad frequentes amoris actus nos inflammat, ac ad fugam incitat eò magis quò à maiore malo, ac æterno Dei odio nos videmus hactenus conſeruatos. Iſta qui expendit,

dit; amat, ac ſtupet! Amabili Deo ſe debere agnoſcit, quòd vel in ea ob quæ alij æterno ſupplicio cruciantur peccata nunquã inciderit; vel ſi quãdo in ea prolapſus eſt, quòd in ipſo ſcelere à flagrante culpa ad pœnã æternam præceps proiectus non ſit; ſicut diabolus, & angeli eius, ac poſtea mortales non pauci: ſed quòd in eo ſtatu ſit, in quo Deum amare, hæc ipſa legere, infernum fugere, ac æterni amoris patriam adipiſci poſſit; id quod damnati angeli homi-

mineſq; non poſſunt, nec poterunt: cum quibus ſi ipſe eſſet, nec ipſe poſſet. at ſi ab illis ad hūc ſtatum, in quo nunc eſt rediret, ſeriò cogitaret de fuga iſta pulcherrima vijs omnium optimis, & artibus ineunda, ductu amoris Dei.

2. Sicut autem fugientem imminentes ignes iuſtū Loth *cogebant* Angeli, & *apprehenderunt manum eius*, dicentes; Salua animam tuā .b. ità hic amor, veluti Seraphinus, inflāmat nos *ad operandum*, & ad actus inter-

ter-

ternos, ac externos amoris Dei. Sic nos ad fugiendum æternos inferni ignes icitat *fortis* vt mors dilectio, dura ſicut *infernus* ęmulatio. Actiones huius dilectionis sũt ſicut *lampades ignis, atq; flammarum.* vbi ſeptuaginta .c. *Alæ eius alæ ignis flammæ eius.* His actibus, ac ſuſpirijs, velut pennis, & alis igneis, euolamus in fugam inferni. Aliàs .d. fugientibus *timor addidit alas*; hic verò amor addit, toties quoties actiones amoris exerces.

3. Hæ actionum diuini amo-

Digitized by Google

amoris iterationes corde vel ſimul ore conceptæ *ignito eloquio vehementer* inuitāt liberalitatem Dei, vt te ad fugiendum iuuet; vt fugias locum, in quo æterno odio habetur Deus; vt appellas ad locum, in quo æterno amore diligitur infinitè amans, & amabilis Deus. Hæc frequentatio actionum amoris Dei, eſt imitatio amoris cæleſtis, inferno planè oppoſita vbi aſſiduè id agunt damnati vt Deum oderit actibus frequentiſſimè repetitis. Times tu Deum,

per-

perdere, quia illũ amas. Ita te Deus per frequentatos hos actus amoris, veluti totidem hauſtus diuini nectaris, accendit, introductum in cellam vinariam, & ordinat in te charitatẽ; vt illi actus amoris velut in acie ſtẽt contra infernum gladijs aureis igneiſq; inſtructi. *Quid per cellam vinariam*, inquit Gregorius, *congruentiùs quàm ipſam æternitatis contemplationẽ accipimus?* Solet Deus electos ſuos, etiam in infernum, velut in profundiſſimam cellam vinariã, in-

introducere ; non vt bibant ibi de vino irę Dei, ſed vt alios illo inebriari videant;& ſapiant alieno malo, ac fugiant eò magis, quò Deum amant magis. Ita diligentibus Deum omnia, etiam inferni tormenta, cooperātur in bonum.

4. Ama ergò illum qui minatur, quia amat;& dic cum Auguſtino: f. Quid tibi ſum ipſe, vt *amari* te iubeas à me;& niſi faciam, iraſcaris mihi, & mineris *ingentes miſerias?* id eſt, infernum, qui eſt *terra miſeriæ* : vbi iacet,

cet, æternùmque iacebit infelix damnatus [g] *Saturatus aſflictione, & miſeria*, in æterno *lacu miſeriæ*, ac igneo *luto fæcis.* Hos diuini amoris actus frequentare eſt volare fugiendo, fugere volando Spiritus Sancti pēnis; eſt fugere per *excellentiorem viam* [h] charitatis à S. Paulo monſtratã. Dionyſius Carthuſianus .i. inter induſtrias profiſciendi in *amore* Dei ponit, *acerbitatem infernalis incendij profundè conſiderare.* Hoc eſt igne cæleſti peccata exurere, & in-

infernũ extinguere. Quoties amoris actum elicis toties alas igneas moues, impellis, ad auolandum ab inferno, ad volandũ ad Deũ verè amabilem etiam è cogitatione inferni. Nam, vt ait S. Ioan. Chryſoſt. .k. *Nec Regno minùs gehennæ comminatio ipſius bonitatem demõſtrat*. S. Tereſia ait; ſe à cogitatione inferni diuino amore inflammatam exarſiſſe ad eo modo amandum quo Deũ amãt, qui verè amant .l. Ama hanc bonitatem fugiendo infernum; & fuge

amando. Praxes autem amandi vide menſe 1. & 2. diuini amoris.

---

a Apoc. 1.18. & *c.* 3. 18. *b Sap.* 10. 6. *Gen.* 19.16. *c Cant.* 8.6. *d Virgil Aeneid.* 8. *e In Cant.* 2. *f* 1 *Conf.* 5. *g. Iob.* 10.22. & *v.* 15. *h* 1. *Cor.* 12. 31. *i De fonte lucis cap. vlt.* k *h.* 7. *ad pop.*
l Vitæ ſuæ cap. 40.

ARS III. Fugæ inferni.

Beatiſſimæ Virginis Matris ſolidus amor eſt fuga inferni.

1 EST Romæ in foro boario templum, Deo Deiparæ nomine dedicatum, vulgo di-

dictum S. *Maria, libera nos à pœnis inferni.* Si eã verè amamus, habemus pignus vitæ, teſſerã prædeſtinationis; & præſentisſimum auxilium apud Deum, ne æterna ſupplicia mereamur, ſed viuamus moribus cœlo dignis. Aiunt [b] Iunonem olim appellatã *Iterducam*, ducem itineris, & Matrem Deorum. De Matre Dei verè dicitur quòd ſit viæ dux ad bene fugiendum, & ad iter *Hodogetria*; quo nomine à Græcis Imperatoribus cultam accepi-

Digitized by Google

mus. Ipſa eſt noſtræ viæ dux; vt & ab inferno recedamus, & ad vrbem amoris æternam perueniamus. Ipsà duce, inquit Bernardus, non fatigaris, ipsà propitià peruenis. [c] Aliàs illam *viam regiam* vocans, Tenentes, inquit, viam, ſtudeamus ad Chriſtum per eam aſcendere qui per ipſam ad nos deſcendit. Hæc eſt vera illa ſapientia [d] quæ non vnum *iuſtum* clientem ſuum *à pereuntibus impÿs liberauit fugientem*. Hæc eſt *ſemita vitæ ſuper*

eru-

eruditum; ut declinet de inferno nouiſſimo. Vnde B. Magdalena de Pazzis, *Deiparam* vocat *viam amoris Dei*. [f] Per hanc amoris diuini viam infernum fugies pulchro compendio. Hæc via te non fatigabit, ſed iuuabit; dum ij qui ad infernum currunt, laſſantur in via iniquitatis.

2 Hinc S. Catharina Senenſis, amoris diuini Seraph, dicebat; eum, qui dulciſſimam Dei Matrem cum reuerentia coluerit, ab inferni dracone non deuorandum. [g]

 ſunt

Sunt qui dicant, [h] *Fugiam* à fugando hoſte dictam, Deam fuiſſe lætitiæ: & *Fugalia* fuiſſe lætitiæ Deæ lœtiſſimum diem. Certè illi menſes ac dies ſunt velut ſacra noſtra *fugalia* quibus infernum maximè fugimus & illi menſes ac dies ſunt dies lætiſſimi pro Regina, & *cauſa noſtræ lætitiæ*. Aiebat dœmon, animam fœminæ cuiuſpiam à ſe conculcatam, quòd ipſa tentanti dæmoni conſentiendo viam *ad infernum* elegerit, ob gulam, & auaritiæ atque

car-

Digitized by Google

carnis ſordes . [h] At fœmina illa ope Deiparæ defenſa eſt , & emendadata ; faſſo ipſo dœmone iuſſu Deiparæ ; illam ad cœlum duci , ob voluntatem à peccato abſtinendi ; dicente Deiparà: Ideò igitur *clauſa eſt ei via ad infernum*, & via cæleſtis aperta eſt . Hæc ſuis impetrat Virgo Mater : vt diuinà ope reſipiſcant à vijs inferni ; & ita clausâ inferni viâ , fit illis *ianua cæli* , & vitam præſtat puram , ac iter parat tutum in itineribus æternitatis . Apo-

Digitized by Google

calypticę illi mulieri *datæ ſunt alæ duæ*, [i] quibus fugit draconem. Pete tu alas à Deo per MARIAm, vt fugias infernum.

3 Ea de causâ ipſa etiam Deipara oſtenſo quibuſdam inferno, illos eius memores eſſe iuſſit. [k] Sic Iudæo illam imploranti, adfuit, eumque à prædonibus ligatum ac vulneratum, ſoluit, ſanauit, ad cacumen petræ eduxit, & inde illi profundam inferni voraginem, ac horrendam æternùm damnatorum

ſup-

ſupplicia vlulatuſq; commonſtrans, dixit illud eſſe ergaſtulum damnatorum. Inde cæleſti gloriâ illi oſtenſâ, & explicatâ, *Elige*, inquit, *locum quem horum volueris*; eumque reſipiſcere, ac eorum quæ viderat memorem eſſe iuſſit: & ille reſipuit, ac infernum Deiparæ monitu ita expendit memor, ita fugit, vt effugerit per MARIAm quæ illi facta eſt, vti & nobis eſſe parata eſt, *felix cæli porta*. Queritur Chriſtus de ijs, qui alium ſeducunt: *Facitis,*

inquit, *eum filium gehennæ* [l]. Heu infelices filij gehennæ matris! Addit poſtea: Quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Tu certè, ſi vis, fugies. *Ne ſis gehennæ filius, ſis filius* MARIÆ.

---

a Viues in l.2.c.6. de Ciuit. Dei. b Alex. ab Alex. genial. l.6.c.4. fol. 327. c S.1. de Adu. & S.2 in fine. d Sap.10.6. e Prouerb. 15.11.24. f Puccinus vitæ p.4 c.28. g In vita Romæ impreſſa Ital. h S. Brigitta Reuel. l.1. cap.16. i Apoc.12.6. & 14. k Pelbart. Stellar. l.12. p. vlt. c.9. mir.2. Venetus prati p.2. l.1. pag.105. l Matt.23.15. & 33.

ARS

ARS IV. fugæ inferni.

Charitatis opera exercere eſt infernum fugere.

1. VNicum ſignum electionis eſt ſoliditas charitatis; ait S. Gregorius (4) ſolida charitas plena eſt bonorum & operum, & verborum; non verò inanis & vana, & vacua. Ad fugiendum infernum noſtræ nobis vires non ſufficiunt: diuino ergò auxilio & beneuolentià eſt opus. Hanc obtinebis

Digitized by Google

operibus charitatis. Nã vt benè S. Gregorius Nazianzenus. [b] Nulla omninò res eſt quæ Dei beneuolentiam perindè cõciliet, ac miſericordia; nec quicquam eſt quod Deo congruentiùs offerri poſſit.

2. Quando Chriſtus pro decretorio ſuo tribunali ad inferos damnans turbam reprobam dicet, Ite maledicti in ignem æternum; opera miſericordiæ omiſſa recitabit. Vocatos verò ad cœlum, laudabit ab ijſdem operibus non omiſſis. Etenim.

nim.

nim, vt benè S. Ambroſius [c] nihil tam commendat animam Chriſtianam quàm miſericordia. Suſcipias egentem ille tibi acquiret Sanctorum amicitias, & æterna tabernacula: nec quiſquam magis beatus quàm qui intelligit ſuper pauperis neceſſitatem. In die iudicij habebit ſalutem à Domino, quem habebit ſuæ debitorem miſericordiæ. Sic ille.

3 Infernum ergò fugis, cœlo te paras, vbi eſt ciuitas charitatis æternę, quoties pedes aut manus mo-

moues ad opera charitatis; vt ijs dilectum Deum delectes, proximo verò proſis. Hoc, ait S. Ioannes Chryſoſt. hoc fuerit *regnum cælorum*, infinitaque bona, & fructus bonorum aſſequi, ſi germanè, & ſicut oportet *Deum dilexeris*: & propter charitatem in eum, etiam erga conſeruos multam declarauerís *dilectionem*. Hæc omnium virtutum ſumma, hoc fundamentum. [d] Ita Chryſoſtomus.

4 In verbis quoque fugere infernum potes ſi

fu-

fugias verba lædentia charitatem, & ſuauiter loquaris, etiam aſpera loquentibus. Nam qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit *gehennæ ignis*. [e] *Quicquid ſeparat charitatem, infernus eſt appellendus*, ait S. Hieronymus. [f] Tu vide vt [g] lingua tua ne ſit *inflammata à gehenna*, ſed ab amore amoris Dei ſit *eucharis*. De nullo malè, omnibus ſuauiter loquaris. Etenim, vt loquitur Gilbertus, [h] quaſi flammam flamma conſumit, inferiorem ſuperior, *inferna-*

nalem cæleſtis, dum ſuaue verbum & dulce, durum emollit.

5 Labora ergò vt ames omnes amore vnius Dei. ad hunc curris, volas dũ fugis infernum, volatu alarum amoris Dei. Singulæ actiones, & verba è diuini amoris imperio impenſa proximi charitati, pennæ ſunt ſingulæ quibus infernum euades. Quiſquis, inquit ardens ille carbo cordium Auguſtinus, *quiſquis dilexerit Deum & proximum, animam habet pennatam liberis alis, ſancto amore*

volantem ad Dominum. [i] Sub his alis lateant manus non otioſæ ad opera charitatis: & ita pedibus manibuſque fugies infernum; meliore conſilio quàm olim dixerit M. Brutus *manibus* potiùs quàm *pedibus fugiendum.* Optimè fugit qui volat Cherubinorum, ac Seraphinorum alis igneis inſtructus in capite, ad cogitandum de æternitate; in *manibus*, ad operandum amore Dei & proximi pro felici æternitate; in *pedibus*, ad fugiendum, & ca-

cauendum ab infelici æternitate. [k]

---

a h. 17. in Ezech. in fine fol. 176. b Orat. de pauperum amore. c l. 1. offic. c. 41. d h. 55 in Geneſ p. 738. e Matth. 5. 23. f t. 3. in c. 13. Oſeæ pag. 94. c. g Iacob. 3. 6. h ſ. 25. in Cant. i in pſ. 103. fol. 257. col. 4. k Ezech. 1. Iſaiæ. 6.

ARS V. fugæ inferni.

Conciones ita vt decet audire, eſt fugere infernum.

1 S. Franciſcus Xauerius, Magnus Indorũ Apoſtolus narrat Bonzios quintodecimo quo-

quoque die ſermonem ad populum habere, frequenti ſanè ac ſecundâ concione. Nam inter dicendum, atrociſſimos inferorum cruciatus in tabula depictos oſtentare; horrendâque illâ ſpecie fanum populi vniuerſi lamentatione compleri. [a] Magnum, ad incitatam inferni fugã adornandam, orbis terrarum bonum eſt Eccleſiaſtes, qui Deum ſpirante, ac viuidâ dictione, viuaciores illas omnium ſeculorum ætate flammas ob oculos ponat, velut pictam,
Digitized by Google

ctam, & ſpectandam imaginem; qui totus ſit non in coronariâ leuitate floribus illigandâ, verùm in itineribus æternitatis perſcitè oſtendēdis. aliàs caue ne te de concionatoris ore, veluti campo Proſerpinæ, flores legentem infernus abripiat; vt in fabulis Pluto Proſerpinam. Lucerna pedibus noſtris debet eſſe concio, & lumen ſemitis noſtris ad fugiendum infernum.

2 Rerum cæleſtium prædicatores, *æternitatis* velut *ſatores* vocat S. Hilarius. [b] Floſculi ſi

ſer-

ferantur; ætatem non ferunt, nec fructum centeſimum lætæ meſſis pro frumento electorum, & pane qui confortet cor hominis ad fugiendum infernum. Seria ſeriò ſunt agenda. Totus infernus eſt magna concio, quæ in cordibus noſtris clamat id quod *magnà voce* apud inferos perſonare aiunt fabulæ, ſed ſymbola veritatis: *Diſcite iuſtitiam, moniti.*[c] vbi addit Poëta paulò poſt:

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Omnia pœnarum percurre-

rere nomina poſſem. Clamant damnati omnes illud Epulonis ſitientis: *Crucior in hac flamma*: & illud Romæ de ſepulchro cuiuſdam auditum, *Ardeo! Ardeo!* [d] Hæ ſunt conciones, quæ dum è pulpitis audiuntur, & florum loco ſparguntur ignes in populum; mittunt ignem in oſſibus audientium, & illos erudiunt ad fugam inferni capeſſendam. Diuinus amor oſtenſo nobis inferno eſt Eccleſiaſtes cordis noſtri. [e] *Amor*, inquit Seraphicus ille

Fran-

Franciſcus, *amor, amor! omnia clamant amorem.* etiam infernus. Ardeat in te amor Dei, dum ad concionem accedis. [f] *Sermo illius poteſtate plenus eſt. Meminiſſe debet homo tenebroſi temporis,* & ad lumen ignis inferni videre tenebras æternitatis. Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt, ait Spiritus Sanctus. [g] Hoc igne concio te accendet, vt ignem æternum fugias: hoc clypeo armabere, vt vincas quicquid te impedit fugientem.

Digitized by Google

3 S. Ioannes Chryſoſtomus: De gehenna verba, inquit, ne in gehennam deuenias efficiunt; ac medicinæ loco ſunt ſumenda. Aliam ergo viuamus vitam: faciamus de terra cælum. Ita ille. [h] Idcircò dæmon & concionatoris ori, & auribus auditorum ſtruit inſidias; ne ſeria & ſolida dicantur & audiantur. Sed væ nugis nugarum in inferno! [i] S. Franciſca Romana vidit, inter tormenta inferni concionatores in fornace ardente ac plena

ſer-

ſerpentibus, datos canibus lacerandos; & os illorum ſordibus impleri; linguam autem, & cor euelli conſpexit. Etiam dæmon, ex energumena, ſtupenda dixit ad populum de *pœnis inferni*; vt negligentes olim eò acriùs accuſaret. Conatur etiam vt conciones omittantur; vel non ignē inferni, ſed ſuos fumos vendant. Scit enim quanta è concionibus de inferno factis lucra ſint reportata. Certè virum peccatis coopertum, & ad concionem aliquando

ab amico pertractum, Deus ferreis igneiſque catenis à dæmone vinctum oſtendit; qui tamen, auditâ concione, vbertim lachymatus, catenas illas lacrymis dirupit, ac dæmonibus ab Angelo eius cuſtode fugatis, peccata confeſſione dolenter expiauit; & noui admirabilitate exẽpli plures ad frugem pertraxit, ad audiendas conciones ſemper aſſiduus; quippe qui agnoſcebat ſe per illam viam euaſiſſe infernum. Eapropter S. Vincentio ad concionem dicen-

cente, dæmones nunc ignem vomentium equorum ſpecie, nunc alijs artibus concionem turbare conniſi ſunt, id quod hodie quoque faciunt; probè conſcij quòd beati ſint qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, ad dirigendos pedes in viam pacis, ad fugiendum infernum; cuius fugiendi artes pro concione ſcitè traduntur.

---

a lib.3.ep.4. b Canone 4. in Matthæum. c Virg.l.6. Aen. d S Greg. 4. dial. c. 4. e in cantico Amoris, f Eccl. c.8.4. & c.11.8. g Prou. 30.5. h h.44. in c.12. Matth. pag. 161.

561. i Valer. Venet. prati par. 2. l. 3 c. 75. & p. 1. l. 1. c. 27. ex. 3. 7. 8.

ARS VI. Ad fugam inferni.

Dolor diuino amori coniunctus, & crebra confeſſio eſt fuga inferni.

1 DOlor, & amor nos conterat, ne nos conterat ira Dei. S. Ioannes Chryſoſtomus expendens illud Pauli; *Si nos ipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur*; adduxit, ait, *gehennam*, & illud terribile iudicium, & oſtendit neceſſariam, & omninò futuram illã exa-

examinationem, & ſupplicium. Qui ſeipſum condemnauit, duplici ratione Deum placat, & quòd peccata agnouerit, & quòd in futurum ſit tardior ad peccatum. Sic ille. [a] Feliciſſimi ſunt qui quotidie crebro dolore ac amore, ex ipsâ peccatorũ ſuorum ſtrue, velut è lignis ad ſuccendendas inferni (vel purgatorij) flammas idoneis, accendunt ſibi ignem amoris Dei; & his flammis velut accincti, ambulant per vias rectas fugiendo infernum; vt de il-

illis in ſenſu ſuauiſſimo dici poſſit illud: Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis: ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis quas ſuccendiſtis. [b]

2 Quò magis amamus Deum, eò dolemus magis, eſſe offenſum; & eò magis fugimus dolores æternos in tenebris & *flammeà* illâ *nocte*. de qua Euſebius Emiſſenus; Tardè nobis diſplicebimus ſub conſpectu *ignis æterni*, qui Ardens *inferni* puteus aperietur: deſcenſus erit, reditus non erit.

erit. Nullus liber anhelitus. Detrudentur illuc valedicentes rerum naturæ; *morituri vitæ, & morti ſine fine victuri.* [c] Quid ergò conſilij capiendum? Accende amoris lucernam igne diuini amoris; & doloris luceruam, igne inferni. his vre cor; ad harum lumen geme, introſpice animum, ſcribe confeſſionem tuam, animamq; perpurga. Nam, vt egregiè Chryſoſtomus, [d] *cognitio de gehenna quæ perpetuò habitat in animis, magis purgat ani-*

mum quàm quiuis ignis. Gehenna quouis argento puriores nobis efficit animas.

3 Beneplacitum eſt Deo, recedere ab iniquitate, ait Spiritus Sanctus: [e] & hoc eſt recedere ab inferno. Alias in non confeſſum, vel in obiter confeſſum cadet illud: Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium, *& vſque ad inferos peccatum illius: obliuiſcatur eius miſericordia.* Vſque ad inferos fuerunt peccata eorũ quos aliàs narraui in meo [f] An-

Digitized by Google

no Æternitatis, & in anno meditationum cordis. Infixa in limo profundi corda lauanda ſunt, vt infernum fugiant. Peccata ſunt *funes inferni*, ſunt vincula voluntaria, doloris & amoris igne, ac pœnitentiæ Sacramento rumpenda. id niſi fiat, iacebit anima vincta inter angelos peccatores *rudentibus inferni detractos* ad æterna ſupplicia. Vnde Leo Imperator ſuum *canticum compunctionis* ita inchoat, inferni memor: Quis tandem me humo ſublatum ab-

Digitized by Google

ducat ad vellem lachrymarum: vt viſis ibidem ſupplicijs memet lugeã? Stupor, & tremor erit videre, omnia flumine ignis omniuori inuolui. Anima, reputa quo pacto ab ignitis dæmonibus in ſupplicia contrudentur.

4 S. Ioannes Climacus ait, cuidam peccata ſua confitenti adſtitiſſe virum, [g] *qui librum ſcriptum, & calamum manu tenebat*; & ſimul ac ille peccatum pronunciârat, pennâ illud expungebat. Superior verò loci aiebat, eum per il-

illum *verecundiæ rubo-rem ab æterno ignominiæ pudore liberatum*. Certè confeſſio dolore ac amore armata, eſt admirabile compendium ad certam fugam inferni. Quare incredibile eſt quantoperè conetur dæmon, vt confeſſio valdè raró, aut certè obiter fiat. Deo verò impensè placet vt ſæpè ac benè fiat. Vnde apud laudatum aliàs S. Ioannem Chryſoſtomũ, *An non*, ait, *propter hoc & gehennam minatus sũ, vt in regnum cælorum huius metu intrare homines fa-*

faciam? Vnum tamen requiro: nempe ut confiteantur peccata; & ab eis abſtineant. [h]

a hom.28.in ep.1. ad Cor.p.569. b Iſaiæ 50. 11. c h. 3. de Epiph. fol.247. d h.2. in ep. 2. ad Theſſ. p.1495. e Eccli.35.5. f hebd. 27. & Dom.4.poſt Paſcha in medit. 2. Reg.22. 6. g gradu 6. Rader. interpr.p.47. h h.25.in Gen.

ARS VII. Ad fugam inferni.

Examen conſcientiæ accuratum, eſt fuga inferni.

1 AMor diuinus docet nos infernum fugere per viam pur-

purgatiuam: vt cor perpurget ignis amoris, & ignis inferni; atque ita ſcrutemur noſtram Ieruſalem in lucernis hinc amoris balſamo, inde inferni pice ardentibus; ne cæci ruamus in diem calamitatis & miſeriæ. [a] Rogo, ait iterùm aureus orator, rogo reſipiſcamus. *gehennam* ante oculos habeamus. cogitemus illam ineuitabilem reddendam rationem: vt hæc reputantes, & vitiũ fugiamus, & poſſimus aſſequi bona promiſſa ijs qui Deum *diligunt*. [b]

Amor

Amor diuinus ſordes oſtendit in examine, ac lauat: nam pede lutulentò infernum fugere non potes. *Si quis emundauerit ſe, erit vas in honorem*, inquit Apoſtolus. [c] Amor in examine tollit obicem ſalutis, petram ſcandali, lapides offenſionis; vt infernum celeri curſu fugias, nec offendas ad lapidem pedem tuum.

2 Quotidie in examine lege, iudica, dele quæ in conſcientiæ tuæ libello malè ſcripſiſti. Iudicati ſunt mortui, ait di-

dilectus ille Apoſtolus, ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera ipſorum. Mors, & *infernus* dederunt mortuos ſuos: & iudicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera ipſorum. [d]

3 *Age* ergò *gratias* Deo quòd ſaluari adhuc poſſis; nec ſis cum inſelici illa maſſa damnatorum. *Pete lumen* ab igne amoris Dei, & gehennæ flammis: *cor examina* quid ſit quod periculum creare tibi poſſit: *dole*, ac dele, ſi quid mali repereris; ac *decerne meliora*.

ra. Vt autem dolor ac propoſitum ne euaneſcant, vtere igne amoris atque gehennæ. Nam, vt ait S. Ioannes Climacus, lachrymæ quæ ex charitate profluunt, ante perfectam charitatem partam à nonnullis facilè amittuntur; niſi forſaſſe *ignis ille æterna memoria recolendus operis tempore cor inflammet*. [e]

4 Certè examen fuga inferni fuit illi apud Recupitum, [f] qui deprehenſum in examine mortale quoddam pecca-

catum, ſtatim confeſſione expiauit; & manè mortuus eſt repertus; heu! ſepeliendus in inferno, niſi conſcientiam seriò examinaſſet. Etenim, vt optimè Auguſtinus, expiatura erit illic inextinguibilis concrematio; quicquid hîc medicabilis ſatisfactio, quicquid hîc ſalutifera diſſimulauerit ſanare conuerſio. [g]

5 Examen ab actu amoris Dei inchoandũ, & ſimili actu claudendũ; vt ignem inferni, Purgatorijue, ſic à te auertas.

Cæ-

Cæleſtis creditor, ait S. Petrus Chryſologus, *charitate ſibi vult totum debitum compenſari. Plectēdus eſt debitor qui dilectione ſolà ſuam negligit redimere cautionem.* [h]

---

a Sophon.1.15. b b.2. in ep.2. ad Theſſal. c 2.Tim.2.21. d Apoc. 20.13. e gradu 7.ap. Raderum. f Signo 2. reprob.n.18. g b.16 inter 50. b ſerm.94.

ARS VIII. Fugæ inferni.

Exercitiorum ſpiritualiū ſolitudo eſt fuga inferni optima.

1 Quando Core, Da-

than, & Abiron, rebellia capita, *deſcenderunt viui in infernum, operti humo;* populus Iſraël *fugit ad clamorem pereuntium.* [a] Omnes ad hunc finem creati ſumus, vt ſaluemur. Attamen, heu! quot Angeli rebelles, quot mortalium millia, deſcenderunt in infernum? Supereſt vt *ad clamorem pereuntium* audiẽdum ceſſemus à ſtrepitu, & fugiamus infernum. Anima de ſua æternitate ſolicita, cum Apocalyptica illa muliere *fugit in ſolitudinem* ſe-

mel quotannis, *vbi habet locum paratum à Deo*; vt ſic fugiens effugiat ignẽ inferni. [b] Et faſſi ſunt non pauci, aſceticâ illâ Exercitiorum ſpiritualiũ S. Ignatij ſolitudine per octo illos decemùe dies apertam ſibi viam ad fugam inferni, dum finem vltimum, & damnatos Angelos, ac homines à fine illo deuios in infernum præcipites expenderent in ſancto illo ſilentio. Tres amici Iob conſpecto illo, in ſterquilinio, quòd teſtâ ſaniem raderet; lachrymis ac pul-

puluere cooperti, *ſederunt in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus* in ſilentio. *videbant enim dolorem eſſe vehementem.* [c] Sede per dies aliquot ſolitarius, & tace, ac leua te ſuper te cogitans non Iob ſedentem in ſterquilinio, ſed tot millia damnatorum in igneo illo ergaſtulo. Expende *dolorem* illum *vehementem* ſupra omnes dolores; & quod maximè horrendum eſt, æternum.

2 Clamant ſingulæ Exercitiorum meditatio-

tiones arcano illo ſilentio, ſacramenta, examina, lectiones, clamant cum Iob: [d] Fugite ergò à facie gladij: quoniam vltor iniquitatum gladius eſt: & ſcitote, eſſe iudicium. Ita ad fugiendam Nabuchodonoſoris iram hortatus ſuos Deus, *Fugite*, ait; *abite vehementer; in voraginibus ſedete*. [e] Anima ſic ſedendo fit ſapiens, vt ſapiat, & intelligat, & nouiſſima prouideat deſcēdens nunc in profundum inferni, nunc in excelſum ſupra; vt illum fugiendi ar-

artes vndequaque diſcamus.

3 S. Ioannes Climacus, *Quies animæ*, inquit, *eſt ſcientia cogitationum, & ſecura ſeu inuiolabilis mentis meditatio.*[f] Quies iſta eſt fuga inferni, & præparatio ad requiem æternam: nam in inferno nulla eſt quies, verùm labor, dolor, gemitus. Sic domus Dei fit cogitatio ſapientis. Ibi dum ignem inferni vides, ignem amoris concipis. Nam, vt præclarè S. Thomas, *diſponimur ad hoc vt in Dei dilectione proficiamus,*

mus, etiam per pœnas quas per ipſum vitare intendimus. [g]

4 Vidi ego ſolitarios, ait laudatus Climacus, qui ardens ſuum erga Deum deſiderium, & ſolitariam quietem, inexplebili modo explerent, dum *ignem ex igne, amorem ex amore*, deſiderium ex deſiderio procrearent, & augerent. Idcircò experimento cõſtat, plures à dæmone occultis, vel etiam apertis artibus perturbatos fuiſſe, ne ſic deſcenderent in infernũ viuentes, vt olim de-

deſcenderent morientes: imò libros quoq; hac de re dæmoni non probari. Etenim, quod ait ibidem Climacus, *qui de ſolitudinis quiete ſubtiliùs, & eruditiùs diſputat, dæmonum rabiem in ſe concitat* [h].

5 Dic ergò mundo, dic occupationi tuæ: [i] Nunquid paucitas dierũ meorum finietur breui? Dimitte me ergo vt plangam paululùm dolorem meum. Vbi S. Gregorius inferni tormenta diſſertè deſcribens, & fugam ſuadens; *Quid prodeſt,*

deſt, ait, *iſta prænoſſe, ſi non contingat euadere?* *Totà ergò intentione curandum eſt, vt cùm vacationis tempus accipimus, benè viuendi ſtudio, malorum vltritia tormenta fugiamus.* Hîc qui magis fugit, minùs fatigatur. creſcunt ei vires fugiendo.

---

a Num. 16.33. *b Apoc.* 12.6. *c Iob.* 2.14. *d Iob.* 19. 29. *e Ierem.* 49. 30. *f gradu* 27. *g* 2.2.q. 27. *a* 3. *concluſ. h gradu* 27. *i in c.*10.*Iob. c.*37.38.39.40.

ARS IX. Fugæ inferni.

Feſta cultuſque Sancto-

rum incitant nos, & iuuant ad fugam inferni.

1 THeodorus 14. annorũ adoleſcens feſto quodam die, repentè toto pectore inflammatus orabat cum lachrymis: [a] Omnipotens Deus, obſecro te vt in voluntate tua me dirigas; illuminans animam meam miſeram, ne *in æternæ mortis* contenebrata peccatis obdormiat. Audito Pachomij nomine, ad eius imitationem exarſit; & orans Deum cum lachrymis,

mis, *vincebatur amore diuino fortiter ſauciatus*. Ita nos ſauciant feſta Sāctorum; & nobis oſtendunt verum eſſe id quod flebat canens Iacoponus: [b] Quàm breue *feſtum* eſt hæc mundi gloria!

Vt vmbra hominis ſunt
  eius gaudia.
Quæ ſemper ſubtrahunt
  æterna præmia,
Et ducunt hominem *ad*
  dura deuia.

Nempe ad illa deuia per quæ toto cælo aberrant ab itineribus beatæ æternitatis; & dum ducunt

in

in malis bonis dies ſuos feſtos, in puncto ad inferna deſcendunt; vbi nulla eſt lætitia, nulla quies, aut feſtum. Vnde S. Ioannes Climacus; Hi, ait, qui continuè plangunt ſecundùm Deum, quotidie diem *feſtum* agunt: qui verò non ceſſant agere diem *feſtum* corporaliter, in alio ſeculo plangēt æternaliter [c].

2 Diebus feſtis non licebat Hebræis longum iter ſuſcipere. Nos verò dies feſti ſacriùs cohortantur, & iuuant ad

fugam inferni: adeò vt vnico die feſto longè plus itineris conficiamus in fugiendo inferno quàm per alios dies plures. Etenim quoties nobis aliquod feſtum illuxit, toties (quod de quodam feſto canit Eccleſia [d])

Decora lux æternitatis, auream
Diem beatis irrigauit ignibus;
Reiſque in aſtra liberam pandit viam.

Aurei verè ſunt feſtorum dies, quia viua diuini amoris teſtimonia ſunt. Tunc Sacramentis, le-

ctis, auditis Diuorum exemplis, indulgentijs, pijs colloquijs, veluti *beatis* diuini amoris *ignibus* irrigamur, vt creſcamus in amore Dei, exemplo Catharinæ Senenſis, ac Ignatij, ſtupendo diuini amoris igne ignem inferni vincentium: & Ignatio diras quæ in inferno ſunt contra dilectum Deum voces plus quàm omnia inferni tormenta horrente; Catharinâ verò paratâ infernum ingredi, modò illic quoque amaret, ac nemo poſt illam eò de-

Digitized by Google

ſcenderet ad Deum maledictis inceſſendum.

2 Aiebat Siſoy Abbas: [e] *Ego ſi haberem vnam cogitationem Antonij, fierem totus ignis.* Hoc à nobis petit dies feſtus Ignatij, hoc alia feſta Sanctorum olim in hac vita à diuino amore magis celebrium (quorum catalogum texemus alibi) vt illorum cogitationibus fiamus *ignes*. Memento illius moniti Hebræorum: [f] *Eſto calefaciens te ad ignem ſapientum.* Igne illo cæleſti è Sanctorum cordibus

hau-

hauſto fies ignis, & extingues ignem inferni.

4 Martyrologium, Annus cæleſtis, Acta Sanctorum clamant vt fugias. Mœſtus Hector in fabulis adfuit Aneæ, ardente Troiâ, grauiter gemitus imo de pectore ducens; &, [g] Heu fuge, nate Deâ, teque his ait, eripe flammis. ac ſimul ei dedit *æternum ignẽ ex adytis* penetralibus depromptum. Ita temerè viuitur, atque ſi infernus ſit fabula. Tu tamen qui hæc meditatè conſideras, & verè credis, non iam Troiam, ſed

inextinguibilem, ſeu *æternum inferni ignem* ardere, cuius æterna epigraphe eſt; *Et ardet*; [h] accipe meditandum *æternum ignem* inferni, ſeu *ignis æterni pœnam*: vt etiam illo *flammeſcat igne charitas* tua erga Deum; atque ad geminum ignis diuini amoris, & inferni lumen, *heu fuge*, fuge quanto conatu potes, *teque eripe flammis* æternis. Ita te hortantur non mœſtus Hector; ſed læti illi heroës æternitatis beatæ, ipſi de ſe iam ſecuri, at de te ſoliciti. Roga ergo Sanctos, vt te in-

inferos fugientem recipiant in æterna tabernacula: roga Magdalenam quæ dilexit multùm, & amoris lachrymis ac igne infernum extinxit: roga Auguſtinũ, alioſq; inferni flammis olim obnoxios, poſtea diuino amore immortaliter ardentes. Roga S. Nicolaum cum Eccleſia; *vt eius meritis ac precibus à gehennæ incendijs liberemur.*

5 Huc facit Neapolitanus ille, qui accepto in ſodalium ſortitione menſtrua S. Hieronymo, *cùm ſequenti nocte ſe quieti de-*

diſſet, *vidit S. Hieronymum ſenem truci vultu*, *ardentibus oculis*, *accenſam fornacem digito ſibi monſtrare*, *atque horribili voce dicere*: *In hos quàmprimùm conÿcieris ignes*, *niſi aliam viuendi rationem inſtituas*. [i] Ita nobis digito infernum fugiendum commonſtrant feſta, & geſta Sanctorum. [k] Egrediatur *ignis de viris Sichem*, aiebat olim Deus. At hic meliore modo *egredietur ignis* amoris Dei *è viris* illis qui per ignem diuini amoris effugêre ignem in-

inferni. O ſi vocem feſtorum, & Sanctorum è cælo nobis clamantium audiremus! O ſi audiremus *vlulatum contritionis* qui eſt in inferno! Clamat cœlum, atque infernus, ac omnia religioſa templa, domiciliaque in terris: *Fugite; ſaluate animas veſtras.* [l] Audi vocem Dei dicentis: *Interroga fugientem; & ei qui euaſit dic: Quid accidit?* Euaſit iam infernum Sanctus ille cuius feſtum colis, vitam legis: fugit ille. Interroga illum ſanctum fugientem,

tem, & qui iam euaſit; *Quid accidit?* Pete ab illo conſilium, quà, & quomodo fugiendum: quid illi fugienti, quid morienti acciderit; vt eius conſilio, exemplo, & ope diſcas fugere à ventura ira. Et *fugietis* [m] ait Zacharias; *& veniet Dominus Deus meus, omneſque ſancti cum eo*; vt te iuuent, hortentur, ac aperto ſinu obuij excipiant fugientem.

---

a Roſuueidus vitæ Pachom. c. 29. 30. b In cantico cur mundus. c gradu 7. d Breuiar. 29. Iunij. e apud Raynaudum in ſym. Anton. §. 6. n. 10. f ibid.

Digitized by Google

f ibid. n. 17. g Æneid. 2. h Marci 9. 42. Matth. 25. 41. Io. 15. 6 Iudæ 7. i Lechner Sod. Parth. l. 2. c. 6. n 6. p. 320. k Iudic. 9. 20. l Ierem. 48. 5. 6. 19. m Zach. 14. 5

ARS X. Fugæ inferni.

Fæminas, & alias noxias occaſiones fuge; vt fugias infernum.

1 PRoximus periculo, diu tutus non eris. Sæpè quod voluptas non potuit, aſſiduitas ſuperauit, ait de conſortio mulierum [a] S. Iſidorus. Vnde cum fœminis non plus agendum, quàm quantum extorquet magna neceſſitas; ſicut

ſicut cum peſte afflatis. Apud Hebræos, *mulier eſt funis Satanæ.* [b] fuge hos funes; ne illis ſtrangulatus, his rudentibus & camelis pertraharis in profundum inferni. Mulier, S. Ioanni Chryſoſtomo eſt *antiquum diaboli organum.* [c] Hanc ergò dum fugis, fugis infernum: ne pereas cum illis qui fæmineâ voce, boni cuiuſpiam obtentu, illecti, *gaudēt ad ſonitum illius organi: & in puncto ad inferna deſcendunt.* Nam Tertulliano quoq; fœmina eſt *diaboli*

li

li ianua. Eſt *viſcus quo diabolus aucupatur*, ait S. Cyprianus de ſingularitate clericorum.

5 Paralogiſmus oculorum, & ſæpè aurium, eſt fœmina: quo mollia ingenia, inenarrabili ſophiſmate, ac ſubtilitate, implicationeq; inenodabili capiuntur. Horrenda ſunt quæ in hanc rem de magnis viris affert Rainaudus, eruditione confertà. Ibi breui per exēpla viâ luculenter oſtenditur quàm præceps, lubrica, certa ad infernum via ſit fœmina, etiam

illa quam tu putas te meliorem. Ibi B. Aloyſius Bertrandus Ord. Præd. Ego, inquit, ſenex, ſurdaſter, malè ſanus, *prouocatus ſum à qua nunquam putaſſem!* Ibidem alius extremis ſacramentis iam munitus, conſpectâ & accerſitâ illâ quam perditè amauerat, in ipſo erubeſcendi ſceleris conatu animam in infernum euomuit.

3 Fœminæ, ac mali ſocij, ſunt pericula inferni. *Pericula inferni inuenerunt me*, gemit Rex ille. Ne ſinas te ab illis

inueniri: quærunt te, vt perdant; vt ſis cum illis non in faſciculo viuentium, ſed *ad comburendum. Faſciculos*, inquit S. Gregorius, *ad comburendum ligare, eſt hos qui æterno igni tradendi sũt, pares paribus ſociare: vt qui nequaquã diſpari iniquitate polluti ſunt, nequaquam diſpari tormento crucientur.* [d] Memento viros, cedros libani, per fœminas factos carbones inferni. Hebræorum ſapientes, *Omni tẽpore*, inquiunt, *quo homo multiplicat colloquium*

cum

cum muliere, tandem deſcendit in gehennam. [e]
Ama èrgo Deum, ama: & hæc vincula quæ te illigare poſſunt, diuini amoris ac inferni flammis exure. Nec morare.

---

a de contemptu mundi fol. 161. b Vide Rainaudum de ſobria alterius ſexus frequentatione c. 4. & 6. c. Iob. 21. 12. pſ. 114. 3. d 9 moral. 39. e Rainaud. cit pag. 548.

ARS XI. Fugæ inferni.

Gulam peruincere, in menſa inferni meminiſſe, eſt fuga inferni.

1 VTinam in prandijs, & cænis, &

& balneis , & vbique *de gehenna* diſputatum eſſet, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus. [a] Deus *væ* minatus potui, atque conuiuijs; *Propterea*, dicit, *dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino*. [b] Caro eſt ſicut *mulier illa ſtulta, & clamoſa, plenaque illecebris, & nihil omninò ſciens, quæ vecordi locuta eſt: & in profundis inferni conuiuæ eius*. [c] Ibi diues epulo qui *epulabatur quotidie ſplendidè, ſepultus eſt in inferno*. [d] & tum

pri-

primùm, antea depreſſis in patellas oculis cæcus ad æterna, *eleuans oculos ſuos cùm eſſet in tormentis, vidit* ! heu ! quid vidit ? epulas beatorum, & rabidam ſuam ac ęternam famem, ac ſitim.

2 Quare, in menſa *omnis* [c] cibus tuus hoc *igne ſalietur*, id eſt, igne inferni; cuius fugiendi ars etiam hæc eſt, vt gulæ victor, in menſa, inferni memineris, id eſt æternæ famis ac ſitis quam ibi patiuntur illi quorum Deus venter fuit, & nunc gloria eſt in confu-

ſio-

ſione eorum. Vnde S. Gregorius Nazianzenus [f] inter optima quæ recenſet, *optimum, ait, eſt ingluuiem profligare*. Hoc optimo diſcimus effugere peſſimum ſuppliciorum, quod eſt infernus.

3 S. Ioannes Climacus docet frænandum eſſe ventrem *meditatione ignis æterni*. [g] Attende, ait; & videbis quòd dæmon ponit ſe aliquando ſupra ſtomachum, & facit illum inſatiabilem. Quando ſedes in menſa pro refectione, recordare

re mortis, & iudicij. Sic ille.

4 S. Golinducha mẽſæ aſſidens, oſtenſas ſibi menſæ cæleſtis epulas, deinde verò eſurientis in inferno epulonis, ac damnatorum tormenta vidit; & eo ſpectaculo ad fortiſſimam prò Chriſto mortem obeundam eſt inflammata. [h] Non bibas, ait Climacus, quin recorderis ſitis eorum qui cruciantur in inferno; & ſic temperabis à potu. Memoria ignis æterni omni nocte cænet, ac dormiat tecum; & te-

cum

cum ſurgat [i]. Et S. Ioannes Chryſoſtomus [k]: Ne deſpiciamus tantum lucrum quod inde naſcitur; ſed gehennã aſſiduè verſemus in prandijs, & in cænis. Idcircò dum mẽſæ aſſides; diuini amoris igne plenus cogita illam *famem* quam damnati *patiuntur vt canes*; & ſuſpira cum Eccleſia ad Chriſtum qui *impetu amoris actus, languidi mundi medela factus eſt*, vt noſtra
Illuminet nunc pectora cæcæ gulæ data;
Suoq; *amore* concremet:
Vt cor caduca deſerens

Cæli voluptas impleat.
Vt cùm tribunal iudicis
Damnabit igni noxios,
Et vox amica debitum
Vocabit ad cælum pios;
Non eſca flammarum ni-
gros
Voluamur inter turbi-
nes;
Vultu Dei ſed compo-
tes
Cęli fruamur gaudijs [1]:

5 Memini, viris Principibus menſæ accubituris ſignum datum tubis clangentibus. Sonet etiã ſicut S. Hieronymo, tibi ſiue comedas, ſiue bibas, illa *tuba mirum*

ſpar-

ſpargens ſonum per ſepulchra regionum cogens omnes ante thronum; è quo throno egredietur fulmen illud: Ite, maledicti, in ignem æternum. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare. Dum in menſa tibi aliquid detrahis amore Ieſu, illi cibum, & potum præbes. Ede, bibe; ſed memor æternitatis; & architriclino amore Dei, qui cibus eſt Beatorum. Amando guſtant, amãdo ſatiantur, ſine faſtidio.

---

a b.31.in ep.ad Rom. b Iſaiæ 5.14. c Prouerb. 9.18. d Lucæ 16.22.

e Marci 9 6. f pag. 786. tractatu de beatitudinibus diu. vit. gen. g gradu 14. h Annus cæleſtis 11. Iulij ex menæis, & faſtis. i gradu 7. k h. 2. in ep. ad Theſſal l hymno dom. Adu. ad veſp.

ARS XII. Fugæ inferni.

Humilitas vera, eſt vera fuga inferni.

1 HVmilia valdè ſpiritum tuum [a] quoniam vindicta carnis impij *ignis*, & vermis, inquit Spiritus ſanctus, qui non niſi ſuper humiles requieſcit; qui humiles ſpiritu ſaluabit, & ſuperbos damnabit. Vnde omnis qui ſe humiliat,

exal-

exaltabitur in cælo; qui ſe exaltat, humiliabitur in inferno. Quare, humilitas eſt iter ad cælum, & ab inferno fuga. ad quam fugam certum eſt & ſanctum illud S. Dorothei: *nihil eſt humilitate cordis efficacius atque potentius* [b].

2 Habacuc Propheta [c]; Quomodo, inquit, vinum potentem decipit; ſic erit vir *ſuperbus*: & non decorabitur qui dilatauit ſicut *infernus* animam ſuam; & ipſe quaſi mors. Repletus es ignominiâ pro gloria:

circumdabit te *calix* dexteræ Domini, & vomitus ignomiæ ſuper gloriam tuam. Audi quid ſuperbæ animæ dicat Chriſtus humilis corde: [d] Et tu, nunquid vſque in cælum exaltaberis? Vſque in *infernum* deſcendes. Vſque in cælum exaltata, vſque ad *infernum* demergeris. Et apud Iſaiam Deus, dicenti, *Aſcendam*; reſpondet: Ad *infernum* detraheris in profundum laci [e].

3 Merentur ſuperbi deſeri à Deo; vt ſuis viribus re-

relicti corruant;& vel reſipiſcant, vel deſcendant ad locum ſuperbis deſtinatum. Manet, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, manet infernus exerto ore, prædæ inhians; nec ſatietate explętur eorum quos iam penes ſe detinet conditos. Et deſcendent ad eum glorioſi, & magnates; qui ſplendore nominis inclaruerant. Ita ille. [f] S. Gregorius Nazianz. poſtquam ſuperbi diuitis in flamma inferni *colliqueſcentis* meminit, & *immortalis ignominiæ*

in conſcientia inuſtæ, ita exclamat [h]: Quid faciemus, fratres, contriti & *humiliati*? Nempe humilitas actuoſa eſt illa cuius orationem exaudit Deus; quam & amat, & diſcere nos vult Deus. & amari non dignatur à ſuperbis, nunquam eò aſcenſuris vbi æternùm amatur Deus, verùm eò detrudendis vbi æternùm odio habetur Deus.

4 Apud S. Auguſtinum, cuidam interroganti, quid Deus fecerit ante mundi creationem? reſpondit quidam:

Digitized by Google

Alta ſcrutantibus gehennas parabat [h]. Scrutemur nos non alta cum ſuperbis, ſed cum humilibus profunda inferni; vt è mineris illis aurum Dei, theſauros humilitatis eruamus: & humilitas viam nobis aperiet, vt cum humili Franciſco ibi ſimus, ibi amemus Deum, vnde cecidit ſuperbus ille ac rebellis Angelus, qui niſi ſuperbus fuiſſet, arderet nunc dulciſſimo igne amoris Dei, non flammis inferni. Humilibus dat gratiam is qui ſuperbis reſi-

ſtit Deus. Vnde ſuperbia magnũ inferni adeundi, humilitas verò magnum inferni fugiendi compendium eſt. Tunc, ait Gregorius, *infinitè patens inferni barathrum deuorat, quos nunc inanis elatio exaltat* [i]. Via ergò longè optima, & breuiſſima ad inferni fugam, ductu diuini amoris, eſt humilitas. Hanc, ait B. Laurentius Iuſtinianus, quicunque dilexerit, quæſierit, inuenerit, & infatigabiliter tenuerit; in æternum perire nequibit: cum humillimo

mo cælorum Rege Ieſu regnabit. [k] Vnde ſuprema morientis, & viam nobis quà infernus fugiendus ſit commoſtrantis Angelici adoleſcentis Cardinalis Nobilij occupatio fuit amor, Dei per mortem (quam ſibi aiebat eſſe ſuauiſſimam) adeundi; & demum illa vox extrema tertium repetita: *Humilitas, humilitas, humilitas.* [l] Vis extinguere infernum ſuperbis ardentem, ne tibi ardeat? Extinguet illum amori diuino coniuncta *humilitas.* Vis in te ignem

diuini amoris accendi? Accendet *humilitas*. Vis illum nunquam extingui, nunquam tepeſcere? Seruabit illum ſub cinere ſuo *humilitas*.

---

a Eccli.7.u.18.19. b Serm 4. propè fin. c C.2.u.5.16.17. d Matth. 11. 23. *Lucæ* 10. 15. *e Iſ.* 14.15. *f in c.5. Iſaiæ pag.719. g orat. de plaga grandinis p.87. h lib.11.conf. c.12. i in c.10. Iob.c.39. k de humilit.c.7. in fine. l H[illegible]ſ.Soc. p. 2. l.3.n.5.*

ARS XIII. Fugæ inferni.

Imago inferni benè inſpecta iuuat nos ad fugam inferni.

1 Auro ignito pi-

ctam

ctam inferni imaginem tibi ob oculos ponat in cubiculo diuinus amor, pictor optimus: vt illa tecum habitet, ne tu olim habites cum ardoribus ſempiternis, cum igne deuorante. Ita Deus, ac diuinus amor tibi erit *murus ignis*, vt apud Zachariam promittit: ſed mox addit: [a] *O! o! fugite de terra aquilonis: o Sion, fuge.* Hoc tibi clamat imago inferni. Aſpice illam meditatè, vt illam audias; imò in illa Deum. Abyſſum ignis inferni, ait S. Ioan-

Ioannes Climacus, miniſtros crudeles, iudicem non parcentem, ſubterraneum terribilem & pauendum locum, infinitum chaos flammæ infernalis, tetros, & anguſtos deſcenſus, *& eorum imagines porta tecum* [b].

2 Apud Georgium Cedrenum [c] Bogoris Bulgarorum Rex, Methodio Monacho pictori in mandatis dedit, vt in domo nouâ quam Rex ædificârat, hiſtorias depingeret, arbitratu ſuo; *modò terribilis eſſet pi-*

ctu-

ctura. Methodius, cùm nil terribilius noſſet iudicio, & inferno; vtrumque ſcitè depinxit. Rex *ab hac parte videns cœtum iuſtorum expreſſum; ab altera, impiorum ſupplicia perpetientium; edoctuſque à pictore quid ſibi iſta vellent; illicò ſuam eiurauit ſuperſtitionem, & baptiſatus eſt*. Poſtea ſuos quoque *ad fidem Chriſti perduxit*. Ecce vna imago inferni quot oculos ad inferni fugam erudiuit.

3 Imagines, ſunt mutæ ad oculos conciones;

nes; & ſæpè magis corda percellunt quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus. Vtinam omnes illæ nudæ imagines quas impudica pictorum auaritia oculis obtendit, inferni flammis veſtitæ comparerent, ita vt in inferno nuda pictorum talium, & ſceleratorum aliorum corpora flãmis inuoluentur! Vtinam in illis tormentis perſcitè depingendis pictorum ingenia laborarent! Væ pingentibus inuitamenta ad infernum! væ illa aſpicientibus! Væ pingi iubentibus; vel cùm

cùm vetare poſſent, diſſimulanter negligentibus! Nouit infernus hoſtis quanta inde ſibi lucra proueniant: & pictores illos fouet, vt pullos ſuos, & pupillam oculi ſui. Pingunt æternitati beatæ pictores probi & prædeſtinati; reprobi verò, imagines impudicas pingunt infelici ſuæ ac aliorum æternitati. Aiunt; in templo Apollinis tabulas olim appenſas, in quibus digeſta erant ſupplicia inferorum [d]. Dixi hic aliàs è S. Xauerio; Bonzios quintodecimo

quo-

quoque die concioni atrociſſimos inferni cruciatus in imagine oſtentare, magno ſenſu populi complorantis [e].

4 Inferni imagines meditatè conſpectæ, ſunt, matres cæleſtium cogitationum diuino amore ardentium; impudicæ imagines, ſunt matres tartarearum cogitationum, quæ igne infelici ardebunt in perpetuas æternitates. Margarita Philippi III. Hiſp. Regis coniunx, cùm in imagine geminam è terra ſcalam, alteram in cælum, alte-

ram in infernum porrectam videret; ac per illam animas ab Angelis ſurſum duci, per hanc à dæmonibus deorſum præcipitari conſpiceret; ſtetit fixo gradu: & attentè conſiderans quæ videbat; poſt altum ſilentium, vbertim fleuit! dixitque; neſcire ſe per quam ſcalam, & quò eſſet itura! [t] Ita & de S. Ioanne Chryſoſtomo memini me legiſſe; illum, *inferni imaginem in pariete deſcriptam* habuiſſe. Vnde infernus illi ſæpè in calamo, ſæpè in con-

cõcionibus fuit. His oculis conſpecta imago inferni, nos viuas Dei imagines, in optimo beatæ viſionis lumine collocabit; in larario amoris æterni.

---

a Zach. 2. 25. b gradu 7. c In compendio hiſtoriarum mihi pag. 143. d Vide Pauſan. in Phocicis. e l. 3 ep. 4. f Burgheſius ruina ætern. c 8. pag. 56.

ARS XIV. Fugæ inferni.

Inſpirationibus diuinis obedire, eſt infernum fugere.

1 AMari à te Deum, & idem te velle quod

quod ille vult, idem nolle quod ille non vult, ſignum eſt; ſi eius voci ſeu inſpirationi pareas conſtanter & diligenter, idcircò, quia hoc ſibi placere oſtendit [a]. Nã, vt optimè pronunciat Dionyſius Carthuſianus magnus aſceta, *quod optimum eſt, & Deo amplius in nobis placens, hoc vtique ſummè neceſſarium eſt*. Certè bonus filius, imò & ſeruus, promptus volat ad id quod in aurem illi ſuggerit pater, vel dominus, licèt difficile videatur. Quod argu-

gumentũ deducens Tertullianus, non minùs obedienter expeditos vult eſſe ad genium & & ingeniũ Patris ac Domini noſtri *ſeruos Dei viui, cuius iudicium in ſuos vertitur in æternitate, aut pænæ, aut ſalutis: cui ſeueritati declinandæ, vel liberalitati inuitandæ tantà obſequij diligentià opus eſt quanta ſunt ipſa* (ſupplicia & præmia) *quæ aut ſeueritas cõminatur, aut liberalitas pollicetur.* [b] Amor autẽ quo Deũ amas, pœnas & præmia ſupergreſſus, paret, quia ve-

verè amat, quia vult quod Deus à te vult.

2 Vehementer cauendum eſt, ne ſis *rebellis lumini* quo te per ſuas inſpirationes perfundit Deus, vt viam tibi monſtret ad fugiendum infernum. aliàs auferetur ab impijs lux ſua: & ibunt cæci, tenebris plus quàm Ægyptijs inuoluti; ibunt in *tenebras exteriores*, vbi in æternnm non videbunt lumen gratiæ, neque gloriæ. Illi verò qui diuinas inſpirationes aure non ſurdâ prætereunt; *lucis æternæ gaudium*

dium capient, vt loquitur S. Cyprianus: *vbi licebit datæ immortalitatis voluptate gaudere*; abiectis miſeris illis *qui contra Deum rebelles, voluntatem fecerunt diaboli*; quos ait cum ipſo diabolo, *inextinguibili igne* torquendos [c]. B. Catharina Genuenſis, aiebat, nos in mortis articulo inſtar *inferni* vrendos dolore anxio, quòd Deo nobis manũ per inſpirationes bonas porrigenti manus dare viciſſim noluerimus, vt nos duceret quò vellet [d]. Certè

vo-

vocem illius audire obedienter, eſt ſignum ouis electæ ad dexteram: ſurdi corde erunt ad ſiniſtrã.

3 De Aſclepiade fertur; ſurdos ab illo tubæ ſono curatos [e]. Vtinam ſuperet ſurditatem noſtram illa *Tuba mirum ſpargens ſonum.* Inſpirationes ſunt voces Dei è cælo tibi loquentis, & te infernum fugere docentis amore mirabili. *De cælo*, ait Spiritus ſanctus, *de cælo te fecit audire vocem ſuam, ut doceret te* (fugere à ventura ira) *& in terra oſten-*

dit tibi ignem ſuum maximum: & audiſti verba illius de medio ignis, quia dilexit[f]. Quia dilexit te Deus, idcircò tibi dedit tot inſpirationes intimo quodam, & *ignito vehementer* eloquio ſuo. *Maximus* Dei ignis eſt *ignis amoris* pro bonis: *maximus* Dei ignis eſt *ignis inferni* pro improbis reprobis. Vtrumque tibi oſtendit Deus, vt ames amantem Deum; vt fugias infernum, loquitur tibi è medio ignis Deus. Caue autem, ne dum Deo per inſpirationes

nes te ab inferno auocanti aures tuas claudis, in pœnā refractariolæ huius tuæ negligentiæ illas dæmoni tentanti aperias: & ſequaris eum qui te odit dæmonem ad inferni tormenta te ducentem, qui audire nolebas Deum te ad cœlum amantiſſimè inuitantem. Hi ad audiendum Deum hic ſurdi, erunt ad videndum Deum æternùm cæci. Quo Deum amabis magis, eò magis eris ad eius inſpirationes attentus ac obediens. Ora vt diuinus amor aures

Digitized by Google

tibi perficiat. Admoue aures cordis inferno; & audi quæ de illo dicat fides; audi eius ineffabiles *lamentationes*, luctuoſum *carmen*, æternum *Væ!* & diſce inſpirationibus obedire. Ita te viciſſim Deus in oratione loquentem exaudiet. Illis autem qui inhumani ſunt ac ſurdi ad voces vocantis Dei dicet Deus: *Ego quoque in interitu veſtro ridebo* [g].

a in compendio vitæ ſpirit. c. 3. b de patient. c. 4. c lib. 4. ep. 6. in fine. d Vitæ c. 15. e Kircher Muſurgiæ lib. 9. c. 1. f Deut. 4. 36. g Prou. 1. 26.

PARS XV. Fugæ inferni.

Lectio ſpiritualis ſeria, eſt fuga inferni.

1 S. Tereſia poſt mortem ſanctimoniali cuidam apparuit in arcu florido habens *librum* apertum in manu ad pectus, literis aureis exaratum; & dixit: [a] *Lege, filia*; ſimulque oculos illi manu abſterſit. Certè ſi nobis, ad legendum ſpirituales libros, oculos aperiret aut abſtergeret quiſpiã mortuorum è cælo, vel inferno huc redux, non obiter ſed ſanctè ac ſeriò legeremus.

mus. Cælum eſt viua bibliotheca librorum in qua tot libri ſunt digito Dei conſcripti, ac aureis æterni amoris typis impreſſi, quot Sancti: infernus, eſt bibliotheca teterrima librorum in quibus igneo charactere legitur Dei iuſtitia. Damnati ſunt iſti codices: at non ſunt prohibiti, ne illos legas. Olim complicabuntur ſicut liber cæli; imò & inferi, ita vt ex ijs diſcendi tempus futurum non ſit. Nunc legamus vtroſque in libris ſpiritualibus, dum

tem-

tempus eſt legendi veſtigia Sanctorum in libris impreſſa; vt per illa infernum fugere condiſcamus. Nam ſæpè libri potuerunt, quod non potuerunt conciones.

2 In libris minatur nobis gehennam Deus, vt loquitur S. Ioannes Chryſoſtomus, non quò gehennam inducat, ſed quò à gehenna liberet [b]. S. Tereſia, tum adhuc paruula, lectis pijs libellis tenero ſuſpirio identidem repetebat: [c] *In æternum! In æternum!* Nempe hic debet eſſe

 fru-

fructus ſpiritualis lectionis; fuga æternitatis malæ, bonæ adeptio. Vult hæc legi Deus. Vnde Marci 9. capite, tertiò repetitur gehenna, vermis qui non moritur, ignis qui non extinguitur, & ardens.

3 Dicitur Demonax, vnus è 7. ſapientibus, olim de inferno interrogatus reſpondiſſe; ſe ad id quod petebatur, vbi ad infernum poſt mortem deſcenderit, per literas reſponſurum. [d] O ſi daretur damnatis illis poteſtas literas huc ſcribēdi!

di! quid ſcriberent? quo oculo legerentur? Lege illa in libris in quibus horrenda de inferno affert diuina ſcriptura, Patres, aſcetæ. S. Proſper ad ea legenda nos cohortatus, multa de inferno affert. Inter quæ: Damnatorum, inquit, continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor ſummus, torquent animas, nec extorquent; puniunt corpora damnata, nec finiunt. Quos ideò ſibi deputatos ignis inextinguibilis non extinguit, vt permanente ſentiendi

vitâ pœna permaneat; & ad dolendũ magis quàm ad viuendum æternis corporibus compeditos habeat quos in flammis viuacibus immortalitas ſecundæ mortis occidat &c. Hæc, ait, & his ſimilia libenter audire, vel *legere, nihil eſt aliud quàm vitÿs omnibus repudium dare.* id eſt, infernum fugere. [e] Obſcœni, & alij noxij libri, ſunt proci animarum pro inferno; ſpirituales libri ſunt paranymphi animarum pro cælo.

a Ri-

Digitized by Google

a Ribera vitæ l. 5. c. 4. b h. 55. p. 686. c faſti, & Annus cæleſtis in vita. d vitæ philoſoph. e l. 3. de vita contemplat c. 12.

PARS XVI. Fugæ inferni.

Mors conſultrix ad fugam inferni.

1 B. Ephrem poſtquã benè dixit, *charitate* nihil eſſe excellentius, eſſe illam virtutum ſalem; de pœnitentia, & iudicio locuturus, hæc, ait, iugiter die noctuque meditari multùm confert, *extremamque horam* ſemper habere ante oculos, & *inextinguibilis flamma* nunquam ob-

Digitized by Google

liuiſci [a]. Sic, magiſtrâ charitate, à morte conſultrice diſcimus modum optimum fugiendi infernum. Ita fiet, vt mors noſtra ſit nobis porta non inferni, ſed cæli; ſi nunc id agamus quod tunc optabimus nos egiſſe.

2 Notum eſt paſſim, documentum illius philoſophi morientis, qui rogatus à ſuis, vt magnum quodpiam reconditæ philoſophiæ monitum ijs quos moriens deſerebat relinqueret; cum loqui iam non poſſet, ſcripſit: O o; quos cha-

characteres, alij aliter ex-explicuêre: quidam mortem omnium obliuionem eſſe eſt interpretatus [b]. Quid nobis conſilij dat mors noſtra conſultrix? Illud Prophetæ [c]: *O o fugite de terra aquilonis*. Nempe *ab aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ* [d]. Certè infernus, locus eſt in quo nullum eſt bonum, & omne eſt malum. *O o fugite* qui ſapitis. Hæc erunt veſtra ſuſpiria in lectulo mortuali: O o vtinam fugiſſem hanc & illam oc-

occaſionem, hunc ſociũ, illud periculum! Hanc eſſe artem fugiendi infernum docet S. Ioannes Eleemoſynarius dum dicit; *ad ſalutem ſufficere, ut mortis memor ſis ſemper* [e].

3 In apocalypſi, mortem in equo pallido euntem *infernus ſequebatur* [f]. Ne tuam mortem ſequatur infernus, non ſine timore cogita mortem tuam, atque infernum. Ita Vrbanus IV. Pont. memor ſtupæ illius accenſæ, ac vocis, *ſic tranſit gloria mundi*, *Beatiſ-*

Digitized by Google

tiſſime Pater, familiare ſuum ſymbolũ quod habebat retinuit, nempe cor palpitans inter ſpinas in agro ſpinis conſito; cum epigraphe: *Recordare nouiſſimorũ* [g]. Exure nunc igne diuini amoris atque inferni ſpinas illas, peccata illa quæ tibi morienti moleſta eſſe poſſent. Amor, ac timor ſit tibi *ſicut ignis in ſpinis*. Ne differ ad mortis articulum victoriam. Vince te nunc: euelle: combure nunc ſpinas illas. Vincat te *fortis ut mors dilectio*; & dura ſic-

ut

ut infernus æmulatio mollem tibi lectulum paret pro morte : tollat quicquid illum durum reddere tibi poteſt. Ita nō in pallido, ac exangui; ſed generoſo, experrecto, ac velociſſimo equo fugies infernum. Eant in flammas amoris, atque gehennæ nunc ſpinæ illæ omnes ac tribuli quos germinauit tibi vita tua, ager infelix. Hæc erit *amoris fertitudo* atque *victoria* : ſicut in annulo Salomonis aurea corona ſpineæ coronæ innexa lemmate gemino inſcri-
be-

bebatur: hinc, *Amoris cognita fortitudo*: inde, *Amoris victoria* [Ih]. Combure nunc ſpineam peccatorum tuorum coronam igne amoris, atque inferni; vt mors non ſpineam æterni doloris, verùm auream æterni amoris coronam tibi imponat; canatque gloriam diuino amori qui te fortem fecit vt hanc de te victoriam reportares.

4 Chryſoſtomus: Si, ait, mortuus ſi ſolùm videatur, animum noſtrum ita reprimit; quanto magis *gehenna*, & *ignis qui*

nequit extingui [i]? Non poterit poſt mortem extingui; ante mortem, ſi vis, potes illum igne amoris diuini extinguere; ne tibi ardeat. Extingue illum dum potes; ne dum non poteris, doleas te illum non extinxiſſe dum poſſes; ne tardè ſuſpires in morte, cum nobili illo adoleſcente, de quo ſcribit is qui eum nouit, illum ocreas induentem repentè cōcidiſſe, ac inter moriendum amaro ſuſpirio dixiſſe: *Miſella anima, quò ibis* [k]? ſic age; vt

mors

mors tibi ſit ianua non ad æterni odij locum, ad infernum; ſed ad cælum, ad centrum amoris æterni.

a Serm.1. b apud Engel graue lucis Eu. p.1. §.3. pag.8. c Zach. 2. 6. d Ierem 1.14. e Seueranus in pretioſis mortibus. f Apoc.6.8. g Sandæus in donario Iulij pag. 67. h Ioann. Bapt. Laurus de annulo Perus. p.220. i h.2. in cap.2 ad Theſſal. k Barry Solitud. die 4.

ARS XVII. fugæ inferni.

Mortificatio aſſidua, eſt fuga inferni.

1 INgredere hoc menſe æternum inferni carcerem cogitatione pro-

profundà; vt amore Dei ac tuæ carnis odio accendaris. Ingredere duce diuino amore, eo modo quo S. Ioannes Climacus ingreſſus olim eſt carcerem pœnitentium, quem vocat *Deo gratiſſimum*, aitque ſe in eo 30. diebus (id eſt vno menſe) verſatum, & alium ab eo qui ingreſſus fuerat egreſſum [a]. Ibi ego diuinum amorem, infernum, & carnis afflictationem inuenio. Narrat iſtic alios *igne mæſtitiæ lachrymas eliquantes, qui æterna ſupplicia depreca-*

ban-

bantur, vt ab *inexplicabilibus & reconditis ſupplicijs* liberarentur. Aperi, aiebant Deo, aperi nobis; quando nobis ipſi peccatis noſtris fores cæli occluſimus. Obſtupeſce *ſanctorum humillimam*, vt ille loquitur, *in Deum charitatem, & pænitudinem*. Aſpice eum qui ad illum carcerem iuit *vulneratus in corde dolore triſtitiæ tanquam gladio, ex diuino amore*. Ait ibidem, fuiſſe animas impuras, quæ ex conſideratione *amoris* Dei, impurum amorē & af-

affectum totum in Dominũ tranſtulerunt, adeòque in diuinum commutarunt, vt omni ſeruili timore ſuperato, ſe *totos in diuinum amorem demerſerint*. Tum addit: Generoſus, & heroicus animus inde ſtimulum ad virtutem arripuit, *igneoque iaculo diuini amoris ſaucius, ſuccenſus charitate, & ardens abiuit*. Ita tu Dei amore, ac odio tuæ carnis accendere; iuxta illud eiuſdem ibi ſic exclamantis: Curramus: opus eſt enim curſu, & contentiſſimo

cur-

rſu. *Curramus neque ümnoſo corpori noſtro rcamus.* Ita fugis in-rnum currendo, & carni on parcendo. Hortatur l aſpera ſuos pedes, ma-ıs, & omnia membra S. achomius, vt eſt in eius ita. *Ne,* inquit, *cùm equieſcere volueritis, in-ucatis me in æternum ſupplicium.*

2 Indulgenter tra-ctare carnem, eſt illam immortaliter odiſſe; ac ad æternum quod cruciat ducere per momenta-neũ quod delectat. Opti-ma, & excellentiſſima

in-

infernum fugiendi via eſt mortificatio, iuxta S. Gregorium Nazianzenũ [b]: Omnibus, inquit ille, *optimæ*, vtiliſſimæque ſunt lachrymæ, vigiliæ, labores; *optimum* item, affectuũ rabiem coërcere, ingluuiem profligare, ſub potenti Chriſti manu humiles animos gerere, diemque aduentantem extimeſcere. Quòd ſi *callem illum ſummè excellentem* ſine vlla offenſione teneas; non iam te mortalium, ſed in cælitum numerum aggregandum cenſeo. Ita P. Georgius

gius Colibrant Belga è Soc. Ieſu, quotidie veſperi horam vnam dabat expendendis quatuor nouiſſimis [c]. Inde ad aſſiduam corporis afflictationem inflammatus, ſe perdiu ac dirè cædebat: apprehensâ diſciplinâ, ne periret de via iuſta, per quam ineunda eſt fuga inferni. Etiam *S.* Ignatius de 4. nouiſſimis meditatus, ſe ſe catenis ferreis cædebat [d].

3 Ponat tibi ab oculos diuinus amor totam hinc ieiuniorum, flagrorum, ciliciorum, ac re-

liquę afflictationis ſupellectilem ; inde inferni tormenta. Ita clauum clauo, dolorem dolore ſuperabis ; ac dolore modico dolores inferni qui damnatorum carnẽ animamque circumdabunt, penetrabunt, exprobrante Deo carni damnati cuiuslibet : Ignem ſuccendiſti in furore meo; vſque in æternum ardebit [e]. Dabit, inquit Iudith, ignem & vermes in carnes eorum ; vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum [f]. Tracta ergò corpus tuum vt ſi-

filium tractari vult diuina ſcriptura [g]: Tu virgâ percuties eum: & animam eius de inferno liberabis. Verè, ait aureus ille Aſceta, nos ipſos decipimus per inordinatum amorem quem ad carnem habemus. Quanto amplius tibi ipſi nunc parcis, & carnem ſequeris, tanto duriùs poſteà pœnas lues, & maiorem materiam comburendi reſeruas. Ibi vna hora erit grauior in pœna, quàm hîc centum anni in amariſſima pœnitentia [h].

Digitized by Google

a gradu 5. ſcalæ è verſione Raderi. b tractatu de diuerſorum vitæ generum beatitudinibus p. 786. 787. c obijt 1609. 2. Nou. d And. Lucas vitæ l. 1. c. 7. e Iſaiæ 17. 4. f Iudit. 16. 21. g Prou. 23. 14. h Th. à Kemp. de imit. l. 1. c. 24.

ARS XVIII fugæ inferni.

Nomina inferni ponderare, eſt fuga inferni.

1 S. Ioannes Chryſoſtomus, Regni, inquit, non ita meminerimus, vt *gehennæ*. Nullus qui *gehennam* habet ante oculos, incidet in *gehennam* [a]. Infernum ergò meditari, eſt meditari fugam quâ illum eua-

euadas. Quocirca expendamus quædam eius nomina quæ nobis occaſionem præbeant ad illũ cogitandum, & enixè fugiendum.

2 *Gehenna*, Tertulliano *eſt ignis arcani ſubterraneus ad pœnam theſaurus. Pyriphlegethon apud mortuos amnis eſt* igneus [b]. Theſaurizant ſibi iram in die iræ nunc ij qui lethalis noxæ ſibi conſcij differunt de die in diem cor perpurgare, ibi theſaurum malorum omnium, id eſt, omnium tormentorum copiam

abundantiam, exaggeratum cumulum reperturi. Sic etiam Meſſenij teterrimum ſuum *carcerem* dixêre *theſaurum*. Gehenna verè carcer æternus, vbi animas catenis igneis conſtrictas *cremabit* (vt loquitur S. Cyprianus) *ardẽs ſemper gehenna, & viuacibus flammis vorax pœna; nec erit vnde habere tormenta vel requiem poſſint aliquando, vel finem. Seruantur cum corporibus ſuis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem* [c]. In carcere illo *vincula*,

in-

inquit S. Io. Chryſoſt. *ſunt ex igne qui nunquam extinguitur* [d].

3 Væ illis, ait Tertullianus, qui delicta ſua velut procero fune nectunt. Si de exomologeſi tractas, *gehennam* in corde conſidera quam tibi exomologeſis extinguet [e]. Quid illum *theſaurum ignis æterni æſtimamus?* Igitur cùm ſcias aduerſus *gehennam* eſſe adhuc in exomologeſi ſecunda ſubſidia, cur ſalutem tuam deſeris? Hæc Tertullianus, & plura de confeſſione,

dum gehennam explicat, & montes ardentes ait eſſe *iudicij minantis exẽplaria*, & magni ac *inæſtimabilis foci miſſilia quædam, & exercitoria iacula*.

4. Gehenna eſt *vallis triſtitiæ* in qua ænei Moloch idoli à ſubiecto igne candẽtis amplexibus imponebantur paruuli pueri & puellæ, dœmonibus immolandi, & viui comburendi: ne autem in tanto cruciatu morientium voces audirentur; tympana pulſabantur, ac tubæ perſonabant. Vnde

Digitized by Google

Gehenna etiam Tophet dicitur ; id eſt tympanum [f] . Infelices mundi, amicorum, carnis amplexus, gehennæ prodromi ! viua imago nos immolantium dæmoni voluptatum !

5 Multa ſunt inferni nomina in diuinis paginis , de quibus latè interpretes . S. Gregorius *terræ tenebroſæ* nomine, tetra tartari clauſtra intelligit. [g] Inferni, inquit, clauſtra, quos puniendos accipiunt , nequaquam pœnâ tranſitoriâ , vel phantaſticâ imaginatione

cruciant; ſed vltione ſolidâ perpetuæ damnationi ſeruant. Infernus, *lacus* dicitur, quia quos ſemel ceperit, ſemper fluctuantes & trepidos tormentis circumfluentibus abſorbet.

6 Dicitur infernus etiam torrens picis, caminus ignis, ſtagnum ignis & ſulphuris, domus luctus æterni, ſtatus omnium malorum aggregatione perpetuus, gladius irreuocabilis, plaga inſanabilis, abyſſus barathri ſinè fundo, domus infelicis æternitatis, ſepul-

Digitized by Google

chrum diuitum epulonum, horror ſempiternus, locus fletus & ſtridoris dentium, ac tormentorum, regio reproborum, exilium æternum, calcaria fornax damnatorum, receptaculum canum fame rabidorum, deſperatio ęterna; dolor ſinè interſpiratione, mors ſecunda, & immortalis, æterna dæmonum tyrannorum carnificumque ſocietas, ignis *ſemper* ardens, & *nunquam* extinguendus.

a b.3.in 2.Theſſ.c.1. b Apologetici c.47.in fine. c ad Demetrianum fere in fine. d h. 25. in florilegiis pag.406. e de pœnit.c.12. f Lud. Balleſter in onomatograph. Geben. g in c.10.Iob.c.38.

ARS XIX. fugæ inferni.

Oratio ex amore Dei profecta, eſt fuga inferni.

1 CVm nobis ad fugiendum infernum neque conſilium ſuppetat, neque vires inter tot pericula domi & foris; neceſſaria nobis eſt oratio ad fugam illam benè capeſſendam & ad ſalutem fugâ quærendam.

dam. Vnde Suarez dum docet orationem eſſe neceſſitate medij neceſſariam ad ſalutem, ita vt ſinè illa finem vltimum nequeas obtinere (licèt Deus tibi etiam non oranti poſſet concedere vt ſalueris) adducit illud Auguſtini: Nullum credimus ad ſalutem niſi Deo inuitante venire; nullum inuitatum ſalutem ſuam niſi Deo auxiliante operari; nullum niſi *orantem* auxilium promereri. Deinde addit ex eodem; Deum alia dare non orantibus, ſicut

ut initium fidei; alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut vſque ad finem perſeuerantiam. Inde S. Ioannes Chryſoſtomus ibidem laudatus, ait verbis illis Euangelij, oportet ſemper orare, *neceſſitatem induci* [a].

2 S. Antonius in ſuis regulis [b]; Cùm, ait, oraueris, & memor fueris Dei, fac tibi indumenta tua ſint *alæ, & euolabis ſuper mare igneum*. Reuera *abyſſus maris infernus eſt*, inquit B. Ephrem. Noli te in in immane illud chaos im-

immergere. *Veni cum precibus* [c]. Prouerbio dicitur: Qui neſcit orare eat ad *mare*. Inferni mare igneum benè cogitatum docebit nos amare & orare: vt conſpectis iſtic damnatis, velut in mari piſcibus, oremus, & dicamus! *Pater noſter, qui es in cælis, libera nos à malo!* Video *mare* ignis bullientis, aiebat de inferno ſanctus ille Anachoreta; & flentes, ac mugientes, vt putent vſque ad cœlos attingere fluctus ignis; & video in tremendo illo *mari* innu-

numerabiles homines[d]. Vide & tu: & ſic ora; ſic ama; ſic age gratias quòd cùm periculo fueris proximus, eò tamen deiectus non ſis. P. Ludouici de Ponte morientis hæc fuit oratio ſæpiùs repetita: *Domine, cùm veneris iudicare noli me condemnare.*

3 In inferno nemo amat Deum, nemo orat. Nobilis quædam fæmina ob ſacrilegum in confeſſione ſilentium damnata, filiæ ſuæ apparuit: & rogata quid agerent in inferno damnati [e]; Exercitiũ, in-

inquit, & officium noſtrum eſt, maledicere Deo. Væ, væ, væ mihi! æternitas, quæ nunquam habebis finem! Age itaque: tuum contra exercitiũ ſit amare ſemper, orare ſinè intermiſſione, benedicere ſemper Deo. Ita cæli ciues imitatus fugies infernum. S. Mechtildis audiuit in cælo cani, quòd ciuitas illa Ieruſalem ſit ornata, & compoſita *ex orationibus ſanctorum* [f]. Orando ergo ciuitatem illam tibi ædificas, infernum deſtruis, & fugis.

S. Tho-

4 S. Thomas, *Neceſſaria*, ait, *eſt homini iugis oratio ad hoc quòd cœlum introeat* [g]. Oratio petit auxilium, & viaticum pro fuga tam neceſſaria; & vires: agit gratias quòd in tentationibus à rugientibus præparatis ad eſcã nos Deus liberarit [h]. *Laudabit uſque ad mortem anima mea Dominum: & vita mea appropinquans erat in inferno deorſum: & liberaſti me de perditione.*

5 Stadiera p. 1. tract. 3. c. 13. ait; diuiti cuidam dictũ à Chriſto: Niſi pauper

per ille cui eleemoſynam dediſti, pro te oraſſet, hac nocte fuiſſes mortuus, & damnatus. Cæterùm, licèt aliorum quoque preces multùm nos iuuent ad fugam inferni; tamen, vt ait S. Ioannes Chryſoſtomus, *non ſic annuit Deus cùm oratur ab aliÿs pro nobis, vt cùm à nobis ipſis* [i]. Hinc illud S. Bernardi ſuſpirium: O Ieſu, *ne permittas me damnari quem tu de nihilo creaſti* [k]. Hinc Eccleſia in litanijs petit quotidie: *Vt animas noſtras, fratrum*,

pro-

propinquorum, & benefa-ctorum noſtrorum ab æter-na damnatione eripias, te rogamus audi nos. Et S. Auguſtinus totâ Chri-ſti patientis hiſtoriâ com-pendio narratâ, clamat: *Libera me à pœnis infer-ni* [l]. Et in ſacrificio miſſæ ſacerdos: *Ne per-das cum impijs animam meam. Ab æterna dam-natione nos eripi, & in electorum tuorum iu-beas grege numerari.* Vt autem oratio impe-tret, tepida non ſit; vt tepida non ſit, calefiat igne amoris Dei, atque flam-

flammis inferni.

---

a de relig.t.2.lib.1 c.28. b Regula 33. c Serm.6 fol.49. d Roſueidus vit pp l.7.c.44.n 12 pag.685. e Valer. Venetus prati p. 1. c. 1. c. 15. f Spirit.grat.l.1. c 51. g 3 p.q.39. a 5.in c. b Eccli. 51. i b.44. in genes.p.630. k In offic.B.V. l.orat. tabulæ Lateranenſis.

ARS XX. Fugæ inferni.

Particularis examinis cõſtans vſus, eſt fuga inferni.

1 INgredere teipſum altiùs: & vide quæ ſit in te radix malorum tuorum quæ poſſint impedire ſalutem tuam, vel ignem diuini amoris

cor

cor tuum aliàs nobiliore incendio accenſuri, niſi tu impedires. Exoſa tibi ſit omnis retardatio in fuga tam neceſſaria, quã etiam ea retardant non nunquam quæ magna licèt non videantur, at non amputata ſuccreſcunt.

2 Ad extirpandum autem vitium aliquod, & inſerendam virtutem quam quæris, conducet benè penderatus ignis inferni. Expendito, ait, Chryſoſtomus, vitæ alterius mala; regni cælorum priuationem à *ge-*

hen-

henna inuſtum dolorem, vincula perpetua, exteriores tenebras, vermem venenatum, dentium fremitum, preſſuram, loci anguſtiam, igneos fluuios, fornaces nunquam reſtinguendas. atque hæc omnia ait vitij eius quod extirpare vis voluptati opponenda. & addit: *radicitus morbum hunc extirpato* [a]. Certè, vt idem docet alibi, propter hoc Deus *gehennam minatur*, non vt eam nobis inferat, ſed *vt fugere perſuadeat* [b]. Fugies verò gehennam, fu-

fugiendo illam conſuetudinem, aut vitium quod oppugnas. Illo ſublato expeditum iter tibi aperies ad fugam inferni; ac adeptionem diuini amoris, tui ad cælum ducis.

3 S. Antonius in nouis ſuis epiſtolis affirmat, huic de ſe victoriæ quam quærit examen particulare, *rependi inuiſibilem, & immaterialem ignem ad comburendas cunctas paſſiones, purgandumque intellectum, & adducendum Spiritum ſanctum inhabitatorem* [c]. Atque hic eſt amor Dei qui ad

exu-

Digitized by Google

exurendũ id, quod in nobis nõ placet Deo, applicat etiam ignem inferni; & ipſe magis increſcit, ac viuit quò magis mortificat illud vitium, hoſtem ſuum. qui certè aureus quidam ſtimulus eſt ad omnem examinis particularis accurationem; vt hoſtes diuini amoris in te occidas, & amicas illi virtutes quæras. Vitia illa, quæ, non excisa, fuiſſent pabulum ignis inferni; excisa, ſunt alimentum ignis diuini amoris, & velut ligna in foco. S. Iſidorus: Inge-

miſce quò vadis, & contremiſce. Con tuum quotidie diſcute, & examina. Culpam ibi emē da, vbi naſcitur [d].

4 Non fruſtra *gehennā* minatus eſt, inquit S. Chryſoſt. qui noſtras actiones tantâ diligentiâ exquirit. Menti tuæ perſuade ne vanè vagetur; ne per experientiam diſcas eſſe *gehennā*; ſed hinc & reſipiſcere valeas, & illa *tormenta effugere*. Ita ille [e]. Certè quædam ſternerent nobis viam ad infernum, niſi examine particulari, veluti ſancto duel-

duello, ſeu ſingulari certamine, vincerentur.

5 Conſideratis inferni ſupplicijs, vbi *pro menſura peccati erit plagarum modus*, [f] faciliùs te peruinces vt aliquam tibi pœnam infligas pro erratis quæ in particulari examine deprehendis. Ita S. P. Ignatius tot ictus ſibi veſperi ſupra ordinarium numerum infligebat quoties eo die ſe deliquiſſe aduertit, cùm examen particulare de modeſtia inſtitueret initio vitæ ad diuina conuerſæ.

a h.13. in ep. ad Rom. in fine. b t.2. h.1. in Matth. col 17. c apud Rainaudum in ſymb. Anton. §.6. d de contemptu mundi fol. 160. e h.31. in ep. ad Rom. in fine. f Deut. 25. u. 2.

ARS XXI. Fugæ inferni.

Patientia ex amore Dei nata, eſt fuga inferni permobilis.

1. S. Ioannes Chryſoſtomus de Deo tibi loquens; Ipſe, ait, te creauit; & te magis diligit quàm tu ipſe [a]. S. Dorotheus autem, poſtquam dixit, omnia quæcunque nobiſcum agit Deus, pro vtilitate

no-

noſtra facit, *cùm nos diligat*; narrat quendam qui deſiderio ſanctæ patientiæ accenſus, ablatam ſibi bonã quandam aliquid ferendi occaſionem dolens, dicebat Deo: Domine, non ſum dignus affligi parumper? Tum addit Sanctus: *Ecce hi ſunt qui ſeriò ſaluari volunt* [b].

2 P. Ludouicus de Ponte narrat animam quandam diuino amore inflammatam conſpectis inferni tormentis cælique delicijs, ita edoctam à Chriſto [c]: *Ab*

ÿs quæ in inferno vidiſti liberi euadant ÿ qui mei amore patiuntur. Via per quam infernus fugiendus eſt, eſt plena ſpinis nudo pede calcandis: at is qui ſeriò ſaluari vult, illas ipſas habet pro incitamento ad currendum, ſeu fugiendum velociùs; & per breues ærumnas, euadit æternas. Etenim, vt ex Auguſtino benè pronunciat S. Proſper, *quis non bibat tribulationis poculum metuens ignem gehennarum* [b]? Hoc poculo ab amantiſſima Dei manu

cum

cum gratiarum actione accepto, & hauſto, increſcunt nobis vires ad fugiendum infernum; gratiâ Dei ſemper creſcente in nobis, quando amantiſſimam Dei nos affligentis manum obedienter, & amanter oſculamur; ſicque, vt dum illa nos hîc vrit, hîc ſecat, in æternum parcat. *Totum quod patimur*, inquit Auguſtinus, *flagellum Dei eſt corrigere volentis, ne damnet in fine. Horrent quando narrantur quæ quiſque grauia valdè patitur in hac vita;*

ta: in comparatione autem ignis æterni, non parua, ſed nulla ſunt [d].

3 Magdalenam Virginem Iaponicam cùm Arimæ in fidei odium ad rogum damnata arderet, prunas ardentes vtraque manu capiti ſuo impoſuiſſe, ac ſe ijs, veluti ſerto, coronaſſe accepimus [e]. Ita ſuos coronat diuinus amor; & carbones quibus vruntur illis vertit in carbunculos pretioſos, dum amant, & gratias agunt Deo, quòd cum illis non ſint qui æternis flammis im-

mortaliter ardent, atque ardebunt.

4 Si dicas, te ſinè interſpiratione variè affligi; reſpondet S. Bernardus: *In gehenna, penitus nulla eſt conſolatio; ſed perpetuo væ, vlulatus, & fletus, & ſtridor dentium* [f]. Et ſæpè magnis diuini amoris heroibus ipſi morbi, aliaque parùm proſpera, incitamento ſunt ad currendam hanc viam. Nec pauci, etiam aliàs non mali, lento paſſu fugiebant infernum, dum proſperâ valetudine, ac fortunâ

vterentur; at poſtquam *multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt*. S. Auguſtinus [g]: *Quis* nolit ad horam vri Laurentij igne vt æternum *gehennæ* non patiatur incendium?

a h. 12. in ep. ad Corinth. p. 427. b Inſtitutione 13. c lib 3. c. 21. §. 3. vitæ M. Eſ. d ſeni. 226. e t. 16. ſ. 109. f Imagines, & narrat. de Iapon. 1613 g ſ. de primordijs p. 377. h Breu. Rom. 11. Aug. lect. 5.

ARS XXII. fugæ inferni.

Quæſtiones practicas de inferno cũ amicis verſare eſt infernum fugere.

Quam-

1 Q*Vumdiu* ſint duraturæ pœnæ inferni, ſi quæras; reſpondetur: *Semper*. Si petas, *Quando* finem ſint accepturæ; reſpondetur: *Nunquam*. Hi ſunt duo poli æternitatis infelicis: *Nunquam* benè: *ſemper malè*.[a] S. Ioannes Chryſoſtomus; *Continuos*, inquit, *ſermones de gehenna verſemus. Non enim ſinet in gehennam incidere gehennæ meminiſſe*. Colloquere ſæpè cum peritis de hoc argumento: nam *ſemita vita ſuper eruditum; ut declinet de*

inferno nouiſſimo [b]. Quære quâ viâ fugerint alij qui optimè fugerunt infernum: & ſic loqui diſce vt illi; ſic agere ſicut illi; ſic eris vbi ſunt illi.

2. Neque id parùm amœnum cenſeri debet. Etenim, vt præclarè Chryſoſtomus; *quoniam res triſtis eſt in gehennam incidere, idcircò qui ab ea re procul nos amonent ſermones, ſuauiſſimi ſunt.* [c]. Sermo veſter, inquit Apoſtolus, sēper in gratia *ſale* ſit cōditus [d]. Illo nempe *ſale* cuius aliàs

hîc

hîc memini, quem ſuggerit Chriſtus de gehenna locutus, & ſubdens: *Igne ſalietur* [e]. Igne, gehennæ ſalietur ſermo noſter, ſi inſulſorum verborum, & quæſtionum loco, ſermonem feras de amore Dei, de inferno, de ſerijs, ac æternis. *Qui de gehenna ſermocinatur*, ait idem aureus orator, *is neque periculum aliquod habebit, & animam caſtigatiorem reddit. De ea dicatur aſſiduè, ut nunquam in eam incidas. Nihil eſt æquè utile ac de gehenna diſ-*

diſſerere. Ne fugiamus ſermonem de gehenna, ut gehennam fugiamus: ne fugiamus pœnæ mentionẽ, ut non puniamur [f]. Ioſaphat, audito Barlaamo de pœnis inferni multa diſſerente; *Quid tandem*, inquit, *faciendum eſt, ut ea ſupplicia effugiamus?* [g]. Nempe hæ quæſtiones naſcuntur è colloquijs de inferno.

2 Magna verò familiaris id genus colloquij materia eſt afferre quæ vel excogitaſti, vel legiſti de modo arithmeticam æternitatis explicandi,

Digitized by Google

di, quamdiu ſit duratu-
ra. Quis nouit poteſta-
tem iræ tuæ; & præ ti-
mo.e tuo iram tuam di-
numerare [h]?

Alij ponunt aceruũ
ex omnibns quæ vnquam
in auibus natæ ſunt plu-
mis, ex omnibus pilis,
characteribus calamo ty-
poùe expreſſis, ex om-
nibus herbulis, ac orbis
terræ arenulis collectum.
Certum eſt plura ſecula
eſſe in æternitate tor-
mentorum damnatis ſe-
renda quàm ſint omnes
illæ pennæ, herbæ, pili,
arenulæ, characteres.
Non

Non ſunt tot guttæ in omnibus puteis, fontibus, fluminibus, ſtagnis, oceano, quot iſtic annis imò ſeculis cruciabitur damnatus.

Si per mille myriades annorum, omnes Angeli, omnes Mathematici, mortales omnes, & immortales, nil aliud agerent, niſi ſcriberent numeros omnium maximos quos noſſent; & ſinguli numeri ſignificarent mille myriades ſeculorum; quicquid iſtic numerorum eſſet ac ſeculorum, damnato in tormen-

Digitized by Google

mentis exhauriendorum, expleretur, & exhauriretur tandem: at etiam poſt exhauſta millies ac millies omnia illa numerorum volumina, nihil nihil adhuc decerperetur de æternis tormentis damnatorum, nihil ſpei accederet. Finiti cuiuſcunque numeri ad infinitam cruciatuum æternitatem, nulla eſt, nulla omninò, proportio. Si totus mundus ſit ex aqua vel ex arena compoſitus; & intra mille ſecula non niſi vna gutta, vel arena vna è tota illa mole decer-

cerpatur ab Angelo ; dicatque Deus damnatis ; illos ab inferno liberandos , vbi Angelus ille totam illam arenæ , ſeu aquæ molem decies millies ita ſenſim tollendo exhauſerit ; magno id ſolatio , magnæ ſpei eſſet damnatis . At exhauſtà etiam millies millies illâ mole , necdum erit tormentorum finis . Demus quòd dãnatus intra mille ſecula vnam lachrymam fundat : & tot ſeculis ardeat in inferno , vt lachrymis ſuis omnes quæ vnquam in Oceano ,
&

& alibi per orbem fue-
rũt aut ſunt aquas æquâ-
rit; adhuc non eſt vlla
ſpes libertatis, aut finis
tormentorum: neque
quicquam de infinitè in-
finita æternitatis longitu-
dine eſt decerptum. Et
hæc ſciunt damnati: ne-
que horum obliuiſci poſ-
ſunt; vt hac etiam cogi-
tatione deſperanter &
acriùs torqueantur. Su-
pra omnes Arithmeticæ
leges, & ſupra omnem
excogitandi induſtriam,
eſt amara, ignea, ærum-
noſa, & nullis vnquam
annorum ſeculorumque
my-

myriadibus exhaurienda, imò nec imminuenda, æternitas. Quandiu durabit? Quandiu Deus! Semper: in æternum. Quando finietur? Nunquam in æternum. Fugiamus ergo illam nunc dum poſſumus: & agamus Deo gratias quòd adhuc poſſimus id quod iij qui damnati ſunt iam non poſſunt. O quàm vellent ſi inde redire ad nos poſſent! Docerent nos fugere ſuis & dictis, & exemplis.

---

a h.31. in ep. ad Rom. b Prou.15. 24. c h.44 in c.12. Matth p.161.

d Co-

d Coloſſ. 4. 6 c Marc. 9. f b. 2. in ep. 2. ad Theſſal. g Vitæ pp. Roſweid. pag. 263. col. 1. h pſ. 89. 12.

ARS XXIII. fugæ inferni.

Reſpectuum humanorum fuga, eſt fuga inferni.

1. B*Eata eſſet noſtra conditio*, inquit, S. Paulinus, *ſi æquè Deo, ut hominibus, vel diſplicere timeremus, vel curaremus placere* [a]. Nunc verò ſpe ac timore, veluti geminâ manu nobis iniectâ, nos retardant humani reſpectus à fuga inferni. Sed eruendus eſt oculus reſpectibus humanis obnoxius, & proijcien-

ciendus à nobis: abſcindenda, & proijcienda manus illa nos retinens; ne ſi non abijciatur, *totum corpus eat in gehennam* [b]. Siue terreant, ſiue lactent te peccatores, ne acquieſcas eis.

2 Quid times? Mortem? Æternam timeas. Sequere conſilium S. Io. Chryſoſtomi [c]: Quando videris aliquid terribile; cogita *gehennam*, & irridebis. Audi amicum præ amicis omnibus tui amantem, & ſapientem. Is Chriſtus eſt, qui *multis turbis circumſtantibus*

bus ita vt ſe inuicem con-culcarent, Dico, inquie-bat, vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus; & poſt hæc non habent amplius quid faciant. Oſtendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui poſt-quam occiderit, habet po-teſtatem mittere in gehen-nam. Ita dico vobis, hunc timete [d].

3 At dices: Rideor. Cogita fletum, & ſtrido-rem dentium in inferno; vbi illi qui nunc probos rident, flebunt; turba-buntur timore horribili,

&

& dicent : Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati! Ergò errauimus! *Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt* [e]. Quocirca diſce hinc illos fugere qui te diſtrahunt, vel retardant à fuga inferni; & conare, vt amor Dei amorem amicorum peruincat; &, quod ait S. Ioannes Chryſoſtomus, *futuri ſupplicij timor in anima omnem timorem humanum obſcuret* [f].

4 B. Eprem, Beatus,

in-

inquit, qui mentis oculis ſpeculari in poteſtate habuit futura gaudia, *perpetuoſque cruciatus*: atque omni ſtudio contendit illa conſequi, *iſtos euadere*. Beatus qui Deo dum tempus eſt placere ſtudet [g]. Certè qui Deo placere ſtudet, ac mentis oculos defigit in perpetuos inferni cruciatus, claudet oculos ad reſpectus humanos: nec illis vel placere amabit, vel timebit diſplicere. *Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placēt* [h]. *Confuſi ſunt, quoniam*

Deus ſpreuit eos. Vbi diſſipauit? Dicant ipſi: *Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum* [i].

---

a ep. 33. p. 291: b Matth. 5. Marci 9. 42. c h. 2. in ep. 2. ad Theſſal. d Lucæ 12. 4. e Sap. 5. 2. 14. f h 5. ad pop. p. 80. g Serm. 12. h pſ. 52. 6. i pſ. 140. 8.

ARS XXIV. fugę inferni.

Sacramentum Euchariſtiæ ſancte frequentare, eſt infernum fugere.

1 SAcrificium miſſæ eſt verè ſacrificium laudis; & *illic iter* quo oſtendit nobis Ieſus ſalutare Dei: illic adoratur

tur Euchariſtia ; & à ſacerdote ſemper , ab alijs crebrò percipitur corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti , vt cuſtodiat animam noſtram in vitam æternam. Ibi Sacerdos diuinam hoſtiam ſumpturus, Fac, inquit, me tuis *ſemper* obedire mandatis , & à te *nunquam* ſeparari permittas: nempe vt cum Chriſto ſeriò tractans negotiũ æternitatis ſuæ , ibi prouideat animæ ſuæ ne ad æternas inferni pœnas deſcendat ; vbi *nunquam* erit benè, et *ſemper* malè. Atque hoc ſalutis no-

ſtræ negotium cùm ſummi ſit momenti, tunc eſt agendum: vt amore Dei ſemper plus ardeas, et ignem inferni, adiuuante Chriſto, extinguas; ne tibi ardeat. B. Paſcalis Baylon ſacram hoſtiam ſumpturus ita orabat: O Pater cæleſtis, da mihi virtutem ad *opus hoc maximum* perficiendum. Pauperculam animam meam, et cor meum tepidum tibi trado. O Sancte Spiritus, acccende cor meum; et animam meam igne charitatis purifica [a].

Qui

2 Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Sæpè ergò & apparatè manducandus eſt, pro felici viatico ad fugam inferni in itineribus æternitatis. *Ad Deum fuge*; monebat Pythagoras [b]. Fiet id, ſæpè Chriſtum in Euchariſtia latentem viſendo; cum illo de ſalute tractando, illum amando, deſiderando ſæpè illo veſci; & etiam crebrò illum ſumendo vt in amore Dei creſcas, & vires accipias ab hoc cibo fortium ad fugam inferni optimè capeſ-

peſſendam, & perſeueranter vrgendam. Fiet id, per frequentatos amoris actus, ita nos docente Auguſtino dum ita ſcribit: *Amando, quantumcunque amatis, volatis ad ipſum Chriſtum* [c]. Volando verò ad Chriſtum fugis infernum.

3 SS. Euchariſtiam vidit S. Catharina Senenſis ardere inſtar fornacis pulcherrimo igne accenſæ. Tibi ardet ignis ille vt te accendat, ac infernum tibi fortè adhuc hactenus ardentem extinguat.

guat. Ingreditur te Chriſtus, vt è corde tuo tollat omnē inferni materiam, ſeu alimentum ignis æterni. Ita S. Mechtildi aliquando dixit [d]: Tu in me; & ego in te: & in æternum non derelinquam te. Quò magis ad illum accedis illum ſæpè inuiſens, crebrò manducans; eò magis fugis infernium. Atque hoc etiam ex capite magnum ac admirabile ad inferni fugam compendium eſt, ſtatum religioſum amplecti; vbi & aliæ infernum

num fugiendi artes optimè exercentur, & ſacramenta perſanctè frequentantur. Caue ne ſis ex illis in quos cadit illud Chriſti: *Non vultis venire ad me, vt vitam habeatis* [e].

4 De conſcientia perpurganda iã aliàs hîc dixi,[f] & dicã. Cæterùm etiam è crebro S. Synaxis vſu creſcunt nobis vires ad tentationes vincẽdas, & vitanda peccata. [g] inde nobis gratiæ cumuli ſẽper noui, & eò maiores, quò maiore cum charitate accedimus. ibi habemus

mus

mus vitam in nobis, arcentem à nobis mortis ſtimulos, & noxas veniales remittentem, vt vocant, ex opere operato. Quod ſi angaris animo de mortali aliquo peccato quod te inconſcio in te fortè occultum deliteſcat; magnum habes in Euchariſtiæ perceptione ſolatium ad fugam inferni [h]. Nam licèt hoc Sacramentum ſit viuorum, id eſt in gratia Dei exiſtentium, non verò mortuorum; tamen, *Hoc Sacramentum*, inquit S. Thomas, *remiſ-*

ſionem etiam peccati mortalis, in eo qui abſque peccati conſcientia & affectu, deuotè ac reuerenter illud ſuſcipit, efficit. Et poſtea: *Poteſt hoc ſacramentum operari remiſſionem peccati, etiam perceptum ab eo qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam non habet. Fortè enim primò non fuit ſufficienter contritus; ſed deuotè, & reuerenter accedens, conſequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficit, & remiſſionem pecca-*

Digitized by Google

cati. Hæc S. Thomas [i].

5 Hanc viam eſſe compendium ad effugiendum infernum didicit adoleſcens ille, cui amicus vitâ nuper functus adfuit, & dixit, *Benè ſibi eſſe cum Chriſto in patria*. Cæterùm eadem quâ ipſe moriebatur horâ mortua fuiſſe quinque millia; è quo numero non niſi ſe, ac tres alios eſſe ſaluos. Modum rogatus quo ille euaſiſſet ad felicitatem tantam; reſpondit: *Hoc à Domino meo Ieſu conſecutus ſum, eò potiſſimùm,*

quòd ſanctiſſimo eius corpore frequentiùs ſim refectus [k]. Diuinum olim monitum fuit: *Cum panibus occurrite fugienti. A facie enim gladiorũ fugerunt, à facie gladij imminentis* [l]. quanto magis egemus pane iſto cæleſti confortante cor hominis nos qui fugimus à facie gladij iræ Dei, à framea ignea quæ ſemper imminet noſtris capitibus velut è tenui filo pendens dum degimus in hac vita? Sumamus hunc panem. grandis nobis reſtat via: nec vllum

ha-

Digitized by Google

habemus adminiculum, aut adiumentum maius in terris quàm Chriſtum, qui eſt panis vitæ, ac pharmacum immortalitatis. Hunc ergò crebrò ſume, ſæpiuſque inuiſe.

---

a Tamaius martyrol. Hiſp. 17. Maÿ. b Lyræus de imit. p. 535. c in pſ. 104 fol. 258. d Cononus in eius vita pag. 234. e Io. 5. 40. f arte 6. & 7. g Suarez in 3. p. tomo 3. q. 79. diſp. 63. ſ. 1. h ibid. dico 3. & ſ. 2. i 3. p. q. 79. a 3. in corp. k Valeri. Venet. prati Ital. p. 1. lib. 1. c. 20. e 21. l Iſaiæ 21. 14. 15.

ARS XXV. fugæ inferni.

Tempore optimè uti, eſt infernum fugere.

De-

1 D*Eputentur tempora*, monet Auguſtinus, *diſtribuantur horæ pro ſalute animæ*[a]. Fama eſt, Perſas [b] ignem olim circumtuliſſe, quem præibant 365. ſacerdotes. Ignem diuini amoris circumfero & ego: quem volo creſcere etiā ab æterno igne inferni, vt magis accendatur & ardeat; & per ſingulos anni dies, veluti totidem ſacerdotes diuino amori ſacros, cor ab hoc amoris igne flammam lucemque accipiat, piè alendam ipſo etiam gehennæ incen-

cendio, deſolatorijſque carbonibus. Ita parebimus Chriſto dicenti [c]: Vigilate itaque *omni tẽpore*, orantes, vt digni habeamini *fugere* iſta omnia. Atque hæc eſt reſponſio ad illa quæſita Ioanni de fugienda ventura ira dicenti facta à turbis, ac alijs [d]: *Quid ergo faciemus? Quid faciemus & nos?* Omni tempore vigilandum, atque orandum, vt fugias.

2 Tirnauiæ in Hungaria, quidam lapidi portæ ſuæ domus incidi cura-

rauit hanc epigraphen: *Tempora Tempore Tempera.* Ibidem noctu ad ſingulas horas certus ad id deſtinatus præco circumit; & ad capita platearum, nunciat linguâ vernaculâ quota ſit noctis hora; monetque vt ad ignem omnes attenti ſint. addit denique in fine: *Deus nos cuſtodiat ab inferno.* Benè facit qui tempore, meliùs verò qui *æternitate temperat* ſua *tempora*: qui horas ſuas, & earũ occupationes diſtribuit, memor inferni. B. Cæſarius Are-

la-

latenſis, vt eſt in eius vitâ, etiam noctu inter ſomnum exclamare non ſemel eſt auditus: *Duo ſunt! Nihil eſt medium! Aut in cælum aſcenditur! aut in infernum deſcenditur* [e]. Conimbricæ circa annum 1545. horrendæ voces clamore inſalubri perſonabant vicatim veſperi dicentium: *Infernus, infernus his qui mortifero vrgentur crimine*. Damnati *cruciabuntur* ſine interſpiratione *die ac nocte in ſecula ſæculorum*: monentque nos, vt fugia-

giamus infernum die ac nocte [f].

3 Sinenſes horologia habent ignea ex odorifero cinere confecta, vt ſunt fomites bombardarum [g]. Igneæ, ac boni exempli ſeu odoris plenæ ſint horæ noſtræ, inflammante illas igne amoris Dei, & igne gehennæ: ſint æternitatis ancillæ. Non temerè, inquit S. Ioann. Chryſoſt. nec inutiliter tempus expendere nos oportet: ſed ſingulis diebus, & *horis* ante oculos noſtros proponere Domini iu-

iudicium, & quæ ſint ea quæ magnam nobis tunc fiduciam afferre queant; quæ item *quæ pœnam inferant* [h]. Laborent in fuga æternitatis horæ noſtræ, dum non pauci ducunt in bonis dies ſuos æternâ nocte plectendos, in igne immortaliter ardente, infinitè cruciante. Audi Anſelmum [i]: Qui non expergiſcitur, qui non tremit ad tantum tonitruũ, non dormit, ſed mortuus eſt. O lignum aridum, & inutile, *æternis ignibus* dignum, quid reſpon-

ſpondebis in illa die, cùm exigetur à te vſque ad ictum oculi *omne tempus qualiter fuerit à te expenſum*. An non ſufficiunt tibi hæc ad eliciendum ſanguinem, & medullas in lachrymas? Hinc erunt accuſantia peccata, inde torrens iuſtitiæ; ſubtus patens *horridum chaos inferni*, deſuper iratus iudex, intus vrgens conſcientia, foris ardens mundus. Hæc omnia S. Anſelmus.

---

a Conf. 11. b Vide Martinum Con-

Conuelt Theatri Excell. B.V. pag. 404. c Lucæ 21. 36. d Luca 3. 9. e Orlandinus hiſt. l. 5. n. 52. f Apoc. 20. 10. g Trigautius l. 1. c. 4. pag. 22. h h. 4. in Gen. i lib. de miſeria hominis fol. 89.

ARS XXVI. fugę inferni. *Teporis fuga, eſt fuga inferni.*

1 CAptiuum in tetro carcere miſerabilem narrat Hugo, qui longum vnguem in cuſpidem inſtar calami ſic acuit, ac ſcitè fidit, vt confecto è ſaliua (num lachrymis?) & carbonibus atramento, de ſe ad ſuos epiſtolam exarârit & arte illâ, & argumen-

to

Digitized by Google

to ad animos permouendos valdè idoneam [a], Certè ſi illi æterni carceris captiui poſſent ſuis lachrymis, & igneis inferni carbonibus ad nos epiſtolas exarare; accenderent nos ad fugam tam formidandi carceris pede non ignauo ineundam; id eſt, ad ea per quæ cælum acquiritur opera perſeueranter vrgenda. *Quæ opera*, inquit S. Leo, *ſi pigro otio, & inerti deſidià negligantur, terra noſtra nihil generoſi germinis pariet; & ſpinis ac tribulis ſubdita,*

ta,

ta, non producet quæ condenda ſunt horreis, ſed quæ vrenda ſint flammis [b]. Tepor eſt inferni prodromus, nos ad latam inferni viam ſenſim per deſidiam & laxamenta diſponens. Queritur S. Iſidorus: *Ars diuini amoris pleroſque habet ſectatores languidos, tepidos, pigritiæ inertia congelatos.* [bb] Sed calefaciendi ſunt hi ad ignem inferni.

2 *Ibi*, ait aureus ille aſceta, de inferno, *ibi acedioſi ardentibus ſtimulis perurgentur* [c]. Pigri,

gri, apud Germanos dicuntur, putridi. Quare inferni ac diuini amoris igne vrendum eſt putridum vlcus acediæ. S. Bernardus queritur de tepidis, quòd ad ea ad quæ feruentes volant, *vix trahantur, vix gehennali timore cōpellantur* [d]. Et alibi; Eos, inquit, quorum *tepida* eſt conuerſatio, vix *gehennæ* metus inhibet, vix diſciplina coërcet. Non tibi horum vita *inferno* appropinquare videtur? Exurgamus obſecro quicunque eiuſmodi ſumus;

re-

reſarciamus animas, ſpiritum recolligamus, abijcientes *periculoſam tepiditatem*; quia moleſtiſſima, plena miſeriæ & doloris, & *inferno planè proxima* vmbra mortis iure cenſetur. Sic ille. Amoris diuini ergò ignẽ adhibe: nam ille faciet, vt à gehennâ ignis, tepida corda bono ardore inflammentur. Putreſcunt alia omnia, *excepto igne*, inquit de elementis Philoſophus [e]. Ne tepore putreſcas, ignem diuini amoris, & ignem gehẽnæ cordi tuo admo-

ueas. Ita omnis actio tua *igne ſalietur*, vt dixit Chriſtus [f]. Nam *qui ſegnis eſt, prorſus in gehennam abibit*, ait Chryſoſtomus [g]: qui nos igne gehennæ mox ad amorem Dei inflammans, addit: *Gratias benigno Deo agamus qui per aliorum pœnam, noſtram ſegnitiem excitat; & nos dormientes expergefacit*. Foue ignem amoris Dei, & ignem gehennæ in corde: & experimento diſces verum eſſe illud Bernardi: *Ignis, & tepiditas non commorantur*
in
Digitized by Google

in vno domicilio [h]. Expergiſcere, vt fugias infernum pede aureo, pede amoris Dei. Ita Ludouicus de Ponte viſum ait S. Xauerium manibus odore fragrantibus, *corde inſtar carbonis igne amoris diuini accenſo*; pedibus verò ex *auro* puriſſimo pretioſis [i]. Vis autem non elangueſcere in teporem? Conare id facere quod Deo putas magis placere. Nam iuxta apophthegma P. Ludouici de Ponte, *Propinquus eſt malo qui per ignauiam contentus eſt mino-*

re bono. Procul à malo eſt qui ſemper quærit maius bonum. Ita P. Henricus Lamparter in eius vita. Cap. vltimo.

---

a Hermannus Hugo de ſcribendi origine c. 9. pag. 86. b Serm. 3. de ieiun. bb l. 2. de ſummo bono c. 10. 4. c Th. à Kemp. de imit. l. 1. c. 24. d S. 3. de Aſcenſ. & ſ. 6. e Ariſt. 4. meteor. c. 2. f Marci 9. 48. g in florilegijs hom. 25. pag. 403. 404. 412. h S. 3. de Aſcenſione. i Vita Mar. lib. 4. c. 19. §. 2.

ARS XXVII. fugę infer.

Tentatio amore Dei victa, eſt fuga inferni.

1 QVoties aliquid quod Deo non pla-

placet menti tuæ obijcit tentatio, dic; *Amo te ſuper omnia, Deus meus, & omnia.* Expergiſcere; tanquam ad amandum Deum, & fugiendum infernum ipsà dæmonis te ad infernum inuitantis voce commonitus. S. Pachomij vitam ſcribens S. Hieronymus [a]; Si quando, ait, eum cogitatio pulſaſſet illicita; mox eam diuino munere repellebat, *æternarum memor pœnarum, & dolorum ſinè fine manentium.* S. Ioannes Climacus infinitum flammæ in-

Digitized by Google

fernalis chaos proponit tentato; vultque vt *æternarum flammarum imagines* animo gerat inſculptas; vt immunditia ab ipſis percutiatur, & anima *accendatur* incorruptibili caſtitate [b].

3 Diuini amoris artificium eſt iſtud; vt tentationem vertas in occaſionem magis *amandi* Deum, & infernum incitatiùs fugiendi. *Verentur certè dæmones*, ait aureus orator Ioannes, *ne è ſuis nefariis ſuggeſtionibus ad laudabile aliquod facinus conuertamur.*

mur. Dæmones priuare nos cælo non poſſunt: quin iuuant potiùs plerumque nos oppugnando (vigiles tamen, & ſobrios) ad cælos capeſſendos [c]. adeòque etiã S. Nili Ep. Martyris conſilio, *tum maximè odio maliciam habebis, cùm fulgurantem ſuper nos dæmoniorum gladium eſſe conſiderabis* [d]. Tunc exardeſcendum eſt maximè ad currendam ſemitam mandatorum, diuino amore duce, quando dæmon in nos maximè excandeſcit; eoque magis amandus Deus

quò magis nos inflammare nititur ad eum offendendum dæmon inimicus Dei & noſter. [c]. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis*. Ita fugiente diabolo fugiet à nobis infernus; & nos ab inferno.

3 Hiat rictu aperto infernus dilatans os ſuũ abſque vllo termino quoties tentaris. S. Iſidorus; *Eum*, inquit, *diabolus iam deglutiſſe dicitur quẽ iam perfecto ſcelere deuoraſſe videtur. Eum verò quem non deglutiuit operis perfectione, ſed ten-*

tationum illecebris mordet vt deuoret; adhuc quaſi in maxilla mandit. Os diaboli, verbacius ſunt quibus corda hominum alloquens occultis vrit cupiditatibus [f]. Tunc ne comburaris ab igne deuorante, Spiritum diuini amoris ora, vt vrat igne ſuo cor tuum & renes tuos Deus. ſic ignes inferni effugies. *Quia*, vt monet Auguſtinus, *effugere intoleranda ſupplicia, & incendia æterna non poterunt, niſi qui priùs in ſe ignem carnalis cõcupiſcentiæ ex-*

Digitized by Google

tinxerint[g]. Ideò Chryſoſtomus clamat ad tentatum [h]: *Quando te inuadit cupiditas corporalis, reputa ignem*: nempe ne victus, in illo ipſo pũcto ad inferna deſcendas quod contigit non paucis.

a Roſuueid. vit. PP. l. 1. c. 16. pag. 118. b gradu 7. c de Dauid canticis. d Sent. fol. 185. e Iac. 4. 7. f ſent. l. 3. c 5. n. 29 30. g t. 10. hom. 16. in fine. h h. 2. in ep. 2. ad Theſ. fol.

ARS XXVIII. fugę infer.

Venialium peccatorum fuga, eſt fuga inferni.

Ve-

1 VEniale peccatum eſt magnum impedimentum amoris Dei magna in nobis operaturi ſi illud remoueretur; & ſæpè ſternit viam ad infernum: Vnde S. Anſelmus animam peccata venialia cauere non curantem ait eſſe dignam *ſecuri & igne*. Tum addit: O lignum aridum, & inutile, *æternis ignibus dignum*, quid reſpõdebis in illa die? Tunc condẽnabitur quicquid fuerit inuentum in te operis, vel otioſi ſermonis, & ſilentij, vſque ad mi-

nimam cogitationem. Væ! quot peccata ibi proruent ex improuiſo, quaſi ex inſidijs, quæ modò non vides? Certè plura, & fortaſſis terribiliora his quæ nunc vides. Et quæ non eſſe mala putas, nudatâ facie apparebunt ibi nigerrima peccata. Sic ille [a]. Vt ergò periculum effugias; caue datâ operâ vllum, quantumuis veniale, peccatum committere: per inconſiderantiam verò commiſſa expia non obiter, ſed ſeriò ac dolenter ex mo-

tio-

tione amoris Dei.

2 Eò increſcit aliquando illa non-curantia venialium peccatorum, vt etiam confeſſio de illis fiat inconſideratè ac negligenter è frigido quodam vſu ac more: id quod eſt appropinquare ad portas inferni. Teſtem habemus huius religioſum illum virum, qui poſt mortem cuidam dixit; ſe ob venialia ſua peccata negligentiùs & è conſuetudine tantùm, ſinè dolore confeſſa, fuiſſe in periculo damnationis æternæ: at puri è

Dei

Digitized by Google

Dei amore doloris gratiam ſibi impetratam, eorum precibus qui adfuêre morienti. Addebat; eam negligentiam Deo maximoperè diſplicere; ſeque ob illam damnatum ad purgatorij tormenta vſque ad extremum diem iudicij: nunc verò miſſum ad alios de maximo illo periculo admonendos. Nam licèt venialia confiteri non tenearis; ſi tamen illa confiteri velis, teneris etiam dolere de illis. Dixit: & videri ſimul deſijt, ac audiri [b].

Di-

Dixi de hoc argumento aliquid etiam in Anno Æternitatis hebd. 18.

3 Roga ergò Spiritum ſanctum, vt cor tuum amore ſuo inflammet ante confeſſionem, qui te dolere doceat, etiam de venialibus. Nam neceſſarium eſt, vt ſi non de omnibus peccatis venialibus quæ confiteris, certè de vno vel altero doleas. Aliàs, vt benè notat Vaſquez, *eſſet ſacrilegium, ſinè vllo dolore confiteri* [c]. Vnde non deſunt qui aliquod mortale ante actæ

vi-

vitæ peccatum, vel aliquod veniale paulò grauius, addant in fine ordinariæ confeſſionis; ac de illo quoque, licèt aliàs confeſſo, doleant; vt ſint magis certi de materia & dolore. Nam confeſſa, & dimiſſa aliàs peccata (etiam ſi de illis ſolis, cum dolore tamen, confitearis) poſſunt eſſe ſufficiens materia Sacramenti, vt tenet Vaſquez, & ferè alij Theologi.

4 Cum dolore ac amore accede ante confeſſionē ad Crucifixum, vt te ſanguine ſuo lauet

uet is, qui *paleas combu-ret igni inextinguibili* [d]. Multa tu paleas eſſe pu-tas:& dũ negligis, ſenſim prolaberis in ea quæ ſint materia ignis inextingui-bilis. Et certè niſi infi-nitè adoranda Dei miſe-ricordia tales ſeruet, me-rentur deſeri. Niſi quia Dominus adiuuit me, *paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea. Pe-ricula inferni inuenerunt me* [e]. Quot venialia peccata committis tuâ ſponte, toties refrigeſcit in te amor Dei, tot adis pericula inferni. Vnde

illa

illa fugiendo, fugis infernum, eiuſque pericula. Si autem in amore Dei tepidus, amas *veniale* aliquod *peccatum*, amas *inferni periculum*, vt pereas in illo, dum venialia te ad aliquod mortale ſenſim diſponunt. Caue! moneo! *Qui amat periculum peribit in illo* [f]. Hæc eſt cæleſtis prouidentia, prudentia, & induſtria. Induſtrius dicitur, ait Ariſtoteles, quatenus conſulere rectè, aliquid iudicare, ac perſpicere poterit *circa puſilla*. Neque

que induſtrium à prudente ſeparaueris [g].

*a lib. de miſeria hominis fol. 89. b Herolt*us*, & Val. Venetus prati Ital. p. 1. l. 2. ex. 2. pag. 470. c in 3. p. q. 92. a. 3. d. 5. n. 9. & 10. d Matth. 3. 12. Luca 3. 17. e Pſ. 93. 17. pſ. 114. 3. f Eccli. 3. 27. g magnorum moral. l. 1. c. 33. p. 317.*

ARS XXIX. fugæ infer.
Voluntatem ſuam, ſenſuſque vincere, eſt infernum fugere.

1 CAptiua ducenda eſt regina volũtas in obſequium charitatis, triumpho amoris Dei. Sæpè oculi, aures, alijue ſenſus inuitant volunta-

tem

Digitized by Google

tem ad aliquid quod illos delectat. Voluntas eſt libera, vt velit, vel nolit annuere, aut negare quod ſenſus petunt vt aſpiciat, audiat, vel tangi velit. In tali occaſione vince te; & fac diuini amoris inſtinctu non id quod ſenſus, ſed quod fortis Dei amor ſuadet. Atque ſic ſæpè repetitis, licèt minutis, actibus *vincenti* te tibi *dabitur manna abſconditum* creſcentis in te diuini amoris, qui nunc eſt adhuc in ſcintilla. Crede mihi, admirabile

com-

compendium hoc eſt ad fugam inferni: in quo nemo habet quod vellet, & nemo non habet quod non vellet. Quid tam pœnale, ait Bernardus, quàm ſemper velle quod nunquam erit; & ſemper nolle quod nunquam non erit? In æternum non obtinebit damnatus quod vult; & quod non vult, in æternum nihilominùs ſuſtinebit. Sic Bernardus [a].

2 Ne ſinas voluntatem ſenſibus ancillari: ſit ancilla diuini amoris, & ſenſuum regina. illius du-

ductu, ac imperio concedat, negetuè ſenſibus quæ concedit, vel negat. Nam propria illa, non verò diuino amori coniuncta voluntas, quæ quærit placere ſenſibus ſuis, non Deo; grauiſſimas contra Deum inimicitias exercet, vt ait Bernardus[b]. Quid enim ait ille, odit aut punit Deus, præter propriam voluntatem? *Ceſſet voluntas propria; & infernus non erit*. In quem enim ignis ille deſæuiet, niſi in propriam voluntatem? Ita ille. Deſæ-

uiat ergò potiùs nunc ſalutariter ignis diuini amoris in tuam voluntatem; vt illa ſenſus coërceat, & peruincat; ne te oculi tui, aures, manus, lingua præcipitent in infernum.

3 Ne æterna mors aſcendat per feneſtras; ſi quid voluptatis placet oculis, auerte oculos tuos ne videant vanitatem; vt olim videas voluptatem Domini. Vince te. hæc victoria non ſinet te ob ſcandalum oculorum *mitti in gehennam ignis* [c]. Vt oculorum

rum illecebras peruincas, cum Bernardo *in infernum deſcende: percurre mentalibus oculis tormentorum officinas: fuge ſcelera* [d]. Vide ne oculus tuus pactum ineat cum forma vllius, id eſt, cum inferno [e]. *Infernus, & perditio nunquam implentur: ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles. Oculus malus ad mala* [f]. Vide ne te ſeducat: & fias æternùm cæcus. Claude illum nunc; vt videas Deum in terra viuentium.

4 Manibus quoque,

au-

aureas catenas inijciat nunc amor Dei; ne olim à dæmone ferreis, & igneis conſtringantur. *Innocens manibus, & mundo corde* fugit infernum dum *aſcendit* in montem Domini. At frequentius eſt à lingua periculum. Linguam peruincere, eſt rectis itineribus infernum fugere. S. Ioannes Chryſoſtomus; Anima, inquit, ſicut equus quidam qui fræno facilè regitur, habens inſidentem *gehennæ* cogitationem, ordinatè ingrediens, *loquetur uti-*

lia [g]. Si manus linguæ tuæ ſcandalizat te; abſcinde eam, truncatis verbis quæ tacerentur meliùs quàm dicantur; & proijce abs te. Nam *vita* æterna, *&* *mors æterna in manibus linguæ* [h]. Roga igneum Iſaiæ Seraphinum, vt illam carbone diuini amoris perpurget; ne illam æterni carbones apud inferos olim vrant. Ante faciem iudicis ſtabunt verba: amicum ſemper habebis ſilentium, inquit S. Iſidorus [i].

5 Spiritus ſanctus ait,

ait; plures in ore ſuo quàm in ore gladij cecidiſſe. quò? in infernum. Addit, mortem quam infert lingua, eſſe mortem nequiſſimam, & peiorem *inferno*: *ſed in flamma ſua*, inquit, *non comburet iuſtos*. Concludit: Attende, ne labaris in *lingua*; & cadas in conſpectu inimicorum (dæmonum) inſidiantium tibi; & ſit caſus tuus *inſanabilis* in mortem. B. Veronica vidit animā ſanctimonialis cuiuſdam, in *inferno*, velut in igneo vaſe, bullire; ob

Digitized by Google

linguam, quam olim cùm viueret, vincere neſciebat [l].

---

a l.5.de conſid.fol 145. b S.3.de reſurr. Dom. fol.66. c Matth. 18. 9. d S.de 5.negotiationibus p.1749. e Prou.27.20. f Eccli.14 10. g h.2. in ep 2. ad Theſſal. h Prou.18.21. i de contemptu mundi fol. 163. k Eccli. 28.u.22. 25.30. l Bollandus 13. Ian.c.6.

ARS XXX. fugæ inferni.

Xcifixum ſeriò amare, eſt infernum fugere.

1 INtroſpice infernum attẽto amoris oculo; ac omnes infelicis illius vrbis plateas anguloſque particulatim perlu-

luſtrans, ama illum qui fecit vt ibi non eſſes; ac ſuſpira cum Auguſtino: *Quæ corda, quot linguæ ad agendas ei gratias ſatis eſſe contenderint* [a]? Certè ſi haberes corda & linguas omnium Beatorum, imò & damnatorum; omnes illas deberes in Dei laudem amoremque conuertere, quòd non ardeas in perpetuas æternitates. Ita laude ſuâ infrænabit te Chriſtus *ne intereas* [b].

2 Quærit Chriſtus: *Quomodo fugietis à Iudicio gehennæ* [c]? Fugie-

mus alis Crucifixi Seraphini; qualis S. Franciſco eſt viſus. Audi S. Catharinam Senenſem [d]: *Crucifixi ſanguis non eſt ſinè igne. Laua te in ſanguine crucifixi; conforta te in igne dulci charitatis ipſius.* Ita illa. Iſte eſt ſanguineus ille ignis, igneus ille ſanguis, qui amore noſtri accenſus, inferni ignes extinxit. Ille, ille eſt quem in cruce pendentem vides qui te igne ſui amoris, velut auro ignito, emit, redemit amore tanto, dolore tanto; ne inter dolores æter-

nos

nos immortaliter torquereris, ſed in cælo ſinè dolore vllo Deum infinitè amares. Hic eſt qui quoties à te in cruce conſpicitur, cordi tuo dicit: Noli timere; fui mortuus, & ecce ſum viuens in ſecula ſeculorum; & habeo claues mortis, & *inferni* [e]. Poterat ille illis clauibus portam tibi aperire ad infernum; at clauſit, cùm tu illam tibi quoties peccabas toties aperires. Dignus ergo eſt quem oculo amoris aſpicias. Ita ille quoque te oculo illo

aſpiciet quo Magdalenam aſpexit, de quo Eccleſia [f]: *Cùm Magdalenam reſpicis, flammas amoris excitas, Geluque ſoluis pectoris.*

3 B. Ephrem de Chriſto patiente loquens, ait: *Seraphin illà horà alas ad inuicem colliſiſſe, viſa ſunt.* Poſtea gratias agens Chriſti doloribus, rogat: *Quæſo operiat me manus tua ſub alis ſuis; & liberet animam meam à ſempiterno igne* [g]. Ad accelerandam inferni fugam iuuabunt nos alæ Seraphini noſtri Ieſu. Id-

cir-

circò Beatiſſima Virgo ſuaſit S. Brigittæ frequentem Chriſti crucifixi memoriam, dicens *apertas eſſe Chriſti ſanguine cæli portas*; & addidit: *Hæc, filia mea, cogita, & habeto ſemper præ oculis* [h]. Et ipſe Chriſtus apud eandem cuidam loquens dixit [i]: *Amice, via tua non eſt ad cælum: nec cogitatio paſſionis meæ ſapit tibi. ideò apertus eſt tibi infernus. Ego, quaſi mater peperi hominem de pœnis inferni paſſione meà ad diem perpetuum.* Si ergò vis fugere infer-

num; memor crucifixi; ama illum qui ſic dilexit mundum, & te, vt moreretur pro te. Ita clauſus tibi erit infernus, & apertum cælum. Defige in crucifixum identidem attentos oculos; & gratias illi age quàm potes tenerrimas pro dolore, ac pro amore quo te ab æterno dolore redemit. Certè ſi ex inferno ad nos rediјſſes; amares actuosè, liberantem te crucifixum. An non maius eſt beneficium quòd te ſeruauerit ne eò rueres, quàm ſi te inde eductum

ctum vitæ redderet poſt-
quàm decem, viginti,
vel centum annis acer-
biſſima tormenta ſubijſ-
ſes in camino illo ignis,
in ſtagno ſulphuris, in
fame, ſiti, doloribus? Vti-
nam ſanctis igniti auri
flammis cor tuum im-
pleat diuinus amor; &
viuam inferni, ac igneæ
illius æternitatis imagi-
nem in corde tuo ita de-
pingat, vt ardere amore
Dei diſcas eò magis quò
magis penetras, fieri po-
tuiſſe vt iam etiam tu ibi
arderes, vbi ardent tot
alij ſinè vlla ſpe liberta-

tis: quòd te vel à grauiore culpa ſeruauerit Deus, aliàs certò lapſurum; vel ſi quando mortali peccato te obſtrinxiſti, quòd non ſtatim te ad inferni æternitatem detruſerit; id quod facere potuiſſet. Hæc vt meditatè ſuauiterque ponderes, diuini amoris, ac inferni memor; accipe pia hæc ſuſpiria rhythmo illigata; & illa ſeu tacito tecum cantu, ſeu in ſilentio ſancto expende; vt etiam ipſo igne gehennæ in te diuini amoris ignem accendat Æternitas: neque

Digitized by Google

que ardeas æterno igne inferni, ſed æterno igne Dei, qui & charitas, & ignis conſumens eſt.

---

a 7.Ciuit.c.31. b Iſaie 47.9. c Matt. 23.33. d Ep.17.& 19. e Apoc.1. 18. f Breu.Rom. 22.Iulij. g Serm. 14. h Reuel.l.1. i lib.6.c.19.

ARS XXXI. fugæ infer.

Meditatio de igne inferni per ignem diuini amoris extinguendo; & de igne amoris Dei, etiam ab ipſis gehennæ ignibus accendendo, pro fuga inferni.

Pro

Pro Die Dominico.

1 Quò me vocas, Æternitas,
Statera veritatis?
Quid me doces, Æternitas,
Magiſtra ſanctitatis?

2 Æternus eſt, æternus eſt
Rex ille qui minatur!
Infernus eſt, infernus eſt
Res illa quam minatur.

3 Æternitas, horrenda vox!
Loquarne, num tacebo?
Æternitas, heu longa nox!
Quicquid vetas, cauebo.

4 Quid deſides inertijs
Totos dies iocamur?
A blandulis ineptijs
Ad tartarum vocamur.

5 Quid eſt, quid hæc Æternitas?
Æterna pœna damni.
Quid eſt, quid hæc Æternitas?
Æterna pœna ſenſus.

6 Eheu! Inexplicabilis
Æterna pœna damni!
Nunquamque terminabilis
Æterna pœna ſenſus.

7 Væ cordibus torpentibus,
Gulæque delicatæ!

Licentioſis mentibus,
Carnique ſordidatæ!
8 O ira, væ! Libido, væ!
Impura lingua, væ, væ!
Væ, væ, manus! Theatra, væ!
Obſcœna corda, væ, væ!
9 Væ, væ, guloſa prandia,
Cœnæque delicatæ!
Tormenta vobis grandia,
Pœnæque ſunt paratæ!
10 Væ ſumptuoſis ferculis,
Fœdis iocis, libellis!
Parùmque caſtis fabulis,
Væ turpibus tabellis!
11 Æternitas, ò vox atrox!
Quam mundus obſtupeſcit.
Æternitatis cæca nox
Somnum videre neſcit.
12 O aſtra, pulchra patria
Dulcis iucunditatis!
O inferi, vos atria
Heu triſtis orbitatis!
13 Quid es, beata Æternitas!
Æternitas beata?
Quid es, tremenda Æternitas,
Nunquam ſat explicata?
14 Caro, caro, quem decipis?
Ca-

Caue tuos amores!
In re parenni deſipis;
Et ſeminas dolores.
Quò me vocas &c. num. 1.
Æternus eſt &c. num. 2.

Meditatio pro Fer. II.

15 Heu! naufragis ſolatijs
Mundus ſuos ſaginat,
Lethalibus mendacijs
Venena dum propinat!
16 Aeternitas cæleſtium
O ſancta norma morum!
Et mille, mille triſtium
Vorago ſeculorum!
17 Aeternitatis diphtheram
Heu quàm diu reuoluam?
Adhucne, adhucne differam?
Nunquamne me reſoluam?
18 Nugacitatis faſcino
Torpemus illigati!
Hac nocte fors, vel craſtino
Torquebimur citati!
19 Adhucne non determino?
Quò maeſta vota verto?
Infernus abſque termino
Me expectat ore aperto:
20 Me raptat aſtu libero
Ami-

Digitized by Google

Amicus ille ſecum:
Heu quàm diu delibero,
Et luctor ipſe mecum?
21 O ſulphurata flumina;
O vortices profundi!
O ignium volumina,
Stulti ſepulchra mundi!
22 Hæc veſtra ſunt ſtipendia,
Caro, ioci, lepores:
Aeterna quos incendia
Vobis dabunt dolores.
23 Horum memor fac omnium
Vt ſim (ſed abſque fine!)
Amor, piorum cordium
Diuine Seraphine.
24 Carbone viuo torridos
Incende iam colores;
Igneſque pinge turbidos,
Et ignium dolores.
25 Pinge igneas ſartagines,
Altiſſimos hiatus:
Et flammeas imagines,
Et ditis eiulatus.
26 I pinge ſerpentes, hydras,
Sulphur, picem vomentes;
Semper fluentes clepſydras,
Nunquam ſed effluentes.

Hic

27 Hic diues ardet; vritur
Hic purpura, atque byſſus.
Hic eſt ſcopus quò curritur:
Hæc eſt profunda abyſſus!
28 Credo tuas, Aeternitas,
Flammas, minaſque credo!
Cedo tuis, Aeternitas,
Flammis, miniſque cedo!

Quò me vocas &c. num. 1.
Aeternus &c. num. 2.
Meditatio pro Fer. III.

29 Damnate, dic tu: quamdiu
Ardebis igne? *Semper*.
Dic ipſe, dic tu; quamdiu
Cogère flere? *Semper*.
30 Damnate, dic; vos quamdiu
Torquebit ignis ille?
Torquebit, eheu! tam diu
Dum viuet vnus ille!
31 *Ibunt dies cum menſibus,*
Anniſque, ſeculiſque:
Ardebimus nos menſibus,
Anniſque, ſeculiſque.
32 *Ardebit ira Numinis*
Per luſtra ſeculorum:
Nec ſpes erit leuaminis,
Nec terminus dolorum.

Non

33 *Non ſunt polis tot ſtellulæ,*
Nec orbe toto arenæ;
Non ſunt maris tot guttulæ,
Quot hoc in igne pœnæ.
34 *Aeternitas, ſed maximus*
Eſt hic dolor dolorum:
Quòd non ſit vllus terminus
Tam grandium malorum.
35 *Aeternitas, ô omnium*
Mors magna reproborum!
Interminate triſtium
Aceruе ſeculorum!
36 *Semper* necabit tartarus;
Nunquam tamen necabit.
Semper vorabit tartarus,
Nunquamque deuorabit.
37 *Semper* trucidat tartarus;
Nunquamque conquieſcet.
Heu! *Semper* ardet tartarus;
Nunquam focus repeſcet.
38 Arſura *ſemper* fulmina,
Et ſopienda *nunquam*!
Semper fluunt hæc flumina,
Exhaurienda *nunquam*!
39 *Nũquã*; quid es, vox horrida
Altæ profunditatis?
Semperque zona torrida

Di-

Digitized by Google

Diræ perennitatis ?
40 Bilance iuſtà pondera
Hinc *ſemper*, inde *nunquam*:
Sint cordis iſta pondera
Sat ponderanda *nunquam* .
41 *Sēper*, quid es? *nūquā*, quid es?
Deo carere *Semper* .
Nunquã, quid es? *Sēper*, quid es ?
Vri, morique *Semper* ?
42 Eheu! Duo vocabula,
Menſura Aeternitatis!
Nec eſt, nec eſt hæc fabula:
Sunt verba veritatis .
Quò me num. 1.
Aeternus num. 2.
Medit. pro Fer. IV.
43 Eheu! quid eſt pulcherrimū
Deum videre *nunquam* ?
Illum Deum dulciſſimum
Quid eſt amare *nunquam* !
44 Cum flammeis draconibus
Vinctum iacere *ſemper* ?
Viuiſque ſub carbonibus
Ardere, flere *Semper* ?
45 Quid es, quid es, damnatio?
Deo placere *nunquam* !
Aeterna deſperatio:
Pœ-

Pœnis carere *nunquam* !

46 Sub igneis rudentibus
Viuum perire ſemper ;
Sub tot draconum dentibus
Singultiendo *Semper*.

47 Valete, pulchra ſomnia,
Vanæque vanitates !
Nihil, nihil ſunt omnia,
Breues inanitates.

48 Hic mundus eſt breuiſſimæ
Sophiſma vanitatis :
Infernus, eſt diriſſimæ
Fornax perennitatis.

49 Aduerte ! Iudicaberis
In Iudicis lucernis.
Si ſis reus, torqueberis:
In *tartari* cauernis.

50 Aeternus eſt, æternus eſt,
Aæternus, ignis ille.
Infernus eſt, infernus eſt,
Infernus, ignis ille.

51 Ah ! quàmdiu morabimur
Inter pericla mille ?
Breui, Breui vocabimur:
Præceſſit hic, & ille !

52 O æſtuoſa æternitas,
Tu me tene cadentem !

Sem-

Semperque ſtans Aeternitas,
Tu ſubleua iacentem.
53 Deo *volo* iam viuere
In valle lachrymarum.
Volo moras abrumpere!
Sat eſt, ſat eſt morarum.
54 Si quiſpiam de carcere
Illo domum rediret;
Poſſetne carni parcere?
Heu! quanta non ſubiret!
55 Quales preces tunc funderet,
Quas lachrymis rigaret;
Illiſque flagra iungeret,
Corpuſque perdomaret!
56 Ab inferis ſi ſurgerem,
A morte ſi redirem;
Quid dicerem? quì viuerem;
Ne denuò perirem?
Quò me. num. 1.
Aeternus num. 2.
Medit. pro Fer. V.
57 O quanto amore amplecterer
Te, Chriſte liberator!
Quòd ampliùs non plecterer
Per te, Deus creator!
58 Ah! Plus amoris debeo
Perire non ſinenti!

Quid

Digitized by Google

Quid langueo? quid hæreo?
Nec reddo cor petenti?
59 Amore flagrantiſſimo
Volo ſequi vocantem!
Et corde quàm tenerrimo
Amare ſic amantem.
60 Quis fecit, vt ne ſim reus:
Viuamque corde mundo?
Quis fecit, vt ſi ſim reus;
Ne mergar in profundo?
61 Quis fecit, vt ne ſterterem
In criminum veterno?
Mihique lectum ſternerem
In igne ſempiterno?
62 Ardent in antro flammeo
Heu mille! mille! mille!
Cur ſic ego non ardeo
Vt ardet hic, & ille?
63 Quis fecit, vt ne traderer
Ergaſtulo reorum?
Quis fecit, vt ne truderer
In clibanum dolorum?
64 Hoc fecit admirabilis
Monarcha ſæculorum.
Et millies amabilis
Rex cordium bonorum.
65 Amor Deus, dignatus es

Ama-

Digitized by Google

Amare non amantem :
Fac vt velim (nam dignus es !)
Amare ſic amantem .
66 Fac iſta ſic intelligam
Vt plus amare diſcam :
Fac, mi Deus, Te diligam ;
Tepore ne fatiſcam .
67 Quandoquidem me maximo
Amore *ſic* amaſti ,
Et tartari diriſſimo
Ab igne liberaſti :
68 Amare iam ne deſinas
Amare Te volentem;
Et impetrare me ſinas
Amare Te petentem .
69 Amoris igniarium
In corde ſit perenne ;
Creſcatque ſeminarium
Incendio gehennæ .
70 Inferne , quantis ignibus
Alis tuos dolores ;
Inferne , tantis ignibus
Alas meos amores .
71 Amoris iſte ſic reos
Extinguet ignis ignes .
Aeternus ille, ſic meos
Accendet ignis ignes .

Quò

Quid me vocas, &c. n. 1.

Aeternus eſt, &c. n. 2.

Medit. pro Fer. VI.

72 Hæc tanta dum conſidero;
Deus, volo Te amare;
Nec amplius deſidero
Quàm cor Tibi immolare:
73 Tu qui dediſti ne fleam
In igne deuorante;
Fac vt beatus gaudeam
In igne cor liquante.
74 Hoc igne creſcens charitas
Amare me docebit;
Et triſtis illa æternitas
Nihil mihi nocebit! O
75 Vellem focis maioribus
Ardere corde toto,
Quàm mundus ignes ignibus
Inflammet orbe toto.
76 Infernus ignis æſtuat
In ſe furore quanto,
Internus ignis ardeat
In me calore tanto.
77 Vtrumque vtrinque incendium
Mundique tartarique
Si conflet in compendium
Mundusque tartaruſque;

78 Adhuc tamen non ſufficit
Hæc flamma; ſed nec illa,
Infernus ipſe deficit:
Et eſt velut fauilla.
79 Maiore amore debeo
Te corde toto amare.
Maiore ab igne debeo
Amando te flagrare.
80 Deus, volo flammeſcere
Prunis tui caloris:
Et ſic amando creſcere
Incendijs amoris.
81 Fœlix Dei dilectio,
Tu cor mihi mouebis:
O pulchra cordis lectio
Tu me *fugam* docebis.
82 Tu tolle quicquid impedit,
Hanc ne *fugam* capeſſam:
Largire quicquid expedit
Vt hanc *fugam* capeſſam.
83 Infernus, eſt ardentium
Dolore, non amore:
Cœlum, locus flagrantium
Amore, non dolore.

Quò me vocas. n. 1.
Aeternus eſt. n. 2.

Me-

Meditatio pro die Sabbati.

84 Mirabiles, amabiles
Dei mei fauores!
O vos inexplicabiles,
O nobiles amores!

85 Vos cor meum perfundite,
Vos pectus occupate:
Quæ non placent euellite;
Totumque me mutate.

86 Quod ignis vltor vreret,
Vos illud expiate:
Quod ignis ille plecteret,
Hoc vos priùs cremate.

87 Amor Dei, tu diſpice
Num quid mali ſit in me;
Amor Dei, tu perfice
Si quid boni ſit in me.

88 Quicquid mali ſit, corrige:
Amore corrigamur.
Si quid boni ſit, dirige:
Amore dirigamur.

89 Aeternus eſt, æternus eſt
Quem nolo Ditis ignis:
Aeternus eſt, æternus eſt
Quem quæro cordis ignis!

90 Amare te peto, Deus!
Audi, Deus, petentem.

Digitized by Google

Ignis meus, Deus meus,
Accende me tepentem:
91 Deus, manum tu porrige
Amare te petenti:
Mentem benignus erige
Amare non potenti.
92 *Volo, volo* iam ſurgere:
Fac me *magis volentem*.
Vt plus amem, cor ſuggere:
Iuua parùm valentem.
93 Amabo te quàm maximis
Poſſum modis, amabo!
Vt plus amem, tenerrimis
Te vocibus rogabo.
94 Rogabo te lectiſſimis
Suſpirijs; rogabo:
Quantiſque poſſum lachrymis
Inſtanter obſecrabo.
95 Modiſque flagrantiſſimis
Clamans id impetrabo.
Sic artibus Te maximis,
Et optimis amabo.
96 Venite, cuncti Cælites,
Ad cor meum venite:
Tam pauperi tam diuites
Venite, ſubuenite.
97 Ad pectus hoc deſcendite:
Vt

Vt ardeam juuate :
Cor frigidum ſuccendite ;
Et illud innouate :
99 O corda pulchrè ardentia,
Vos cor meum fouete !
O corda, corda amantia,
Amare me docete !
99 Si ſancti amoris guttulam
A ſingulis habebo ;
Ab omnibus, non guttulam,
Sed flumen obtinebo.
100 In me, Deus, fac ardeat
Aeternitas amoris ;
Ne me perennis torqueat
Aeternitas doloris.
Horum memor fac omnium
Vt ſim (ſed abſque fine !)
Amor, piorum cordium
Diuine Seraphine.

Chriſtus S. Brigittæ. Reuel. 4. c. 4.
Omnis qui Deum diligit ſuper omnia, non intrabit infernum. Qui verò non diligit Deum, non habebit cælum.

1008.102

Digitized by Google

INDEX

Artium amoris Dei ad fugiendum infernum.

1 Amore diuino inflammari ad fugiendum infernum.
2 Actus diuini amoris frequenter elicere, ac ardenter.
3 Beatiſſimam Virginem Matrem actuosè amare.
4 Charitatis opera exercere erga viuos, & mortuos.
5 Conciones ita vt decet audire.
6 Dolere ex amore Dei de peccatis: & ſæpè confiteri.
7 Examinare conſcientiam quotidie accuratè.
8 Exercitia ſpiritualia quotannis obire.
9 Feſta, & Sanctos ſanctè colere.
10 Fœminas, & alias noxias occaſiones fugere.
11 Gulam vincere: inter veſcen-

ſcendum, inferni recordari.

12 Humilitati ſtudere.

13 Imaginem inferni meditatè aſpicere.

14 Inſpirationibus diuinis obedire.

15 Libros ſpirituales seriò legere.

16 Morte conſultrice vti.

17 Mortificationi aſſiduæ aſſueſcere.

18 Nomina inferni benè ponderare.

19 Orandi ſtudio ſe dare, ex motiuo amoris Dei.

20 Particulari examine conſtanter vti.

21 Pati aduerſa ex motiuo amoris Dei.

22 Quæſtiones practicas de inferno in colloquium inducere.

23 Reſpectus humanos fugere.

24 Sacramentum Euchariſtiæ ſanctè frequentare.

52 Tempore optimè vti.

Te-

26 Teporem fugere.
27 Tentationes amore Dei vincere.
29 Venialia peccata fugere.
29 Voluntatem ſuam, & ſenſus vincere.
40 Xcifixum ſeriò amare.
31 Amore diuino magiſtro, de inferno meditari: & ſuſpirare ſelectis quibuſdam aſpirarationibus è Diurno & menſibus diuini Amoris Romæ impreſſis. exempli gratià; magno ſenſu dicere illud in Litanijs, aliàſque identidem repetere: *Vt animas noſtras, fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorum ab æterna damnatione eripias, Te rogamus audi nos.*
De S. Nicolao:
Vt eius meritis, ac precibus à gehennæ incendijs liberemur.
Vt ignem ſui amoris accendat Deus in cordibus noſtris. de S. Carolo:
Vt nos eius interceſſio in tuo ſemper faciat amore feruentes.

De

De S. Caliſto: *Ad amorem tuum nos miſericorditer per ſanctorum tuorum exempla reſtaura.*

Preces meæ non ſunt digna
Sed tu bonus fac benignè
Ne perenni cremer igne.

S. Michael Archangele, defende nos in prælio, vt non pereamus in tremendo iudicio.

Cum S. Bernardo: *Ne permittas me damnari quem tu de nihilo creaſti.*

In tentatione: *Amo te ſuper omnia, & ideò doleo ſuper omnia, quòd vnquam te offenderim, Deus meus, & omnia.*

Amo te, optime; amo te, pulcherrime; amo te, infinitè amabilis Deus meus!

Illumina, & inflamma me, Deus meus, magno illo igne amoris tui; vt ſapiam & intelligam momentaneum eſſe quod delectat, æternum verò quod cruciat.

Cum S. Caſimiro ad B. Virginem:

A preſſura quæ ventura

Ma-

Malis eſt nos redime.
Pro me pete, vt quiete
Sempiternâ perfruar.
Ne tormentis comburentis
Stagni miſer obruar.

Etiam iuuandis animabus purgatorij conſtanter eſſe addictum, eſt maximoperè vtile ad inferni fugam compendium. De quibus plura dedi in Diurno diuini amoris cap. 12. & in Memoriali Indice pro animabus purgatorij; è quo pauca hæc accipe. Vt illæ te iuuent ad fugiendum totis viribus infernum, & acquirendum ſolidum amorem Dei, incipe, vel perge.

Afflictationes varias pro illis offerre.

Bonorum operum ſatisfactionem illis tranſcribere.

Cilicium, catenulam geſtare: coronam recitare.

Communionum indulgentias illis applicare.

Colloqui de illis: Conciones de illis curare, audire.

Di-

Diſciplinas, eleemoſynas pro illis offerre.
Exempla de illis narrare.
Feſta religioſè colere.
Genibus humi poſitis pro illis orare.
Horologij ſono audito pro illis ad Deum ſuſpirare.
Ieiunare. Imagines illarum curare.
Libellos pios de illis procurare, diſtribuere.
Litanias pro illis recitare.
Miſſæ ſacrificia curare.
Numiſmata illarum diſtribuere.
Officium pro illis recitare.
Orare, vt diu, & pij, ac felices viuant qui illas iuuant.
Peregrinationes pro illis obire.
Pſalmos Pœnit. recitare.
Quadrageſimæ ieiunio illis ſuccurrere.
Roſarium pro illis recitare.
Stationum Indulgentias pro illis lucrari.
Sitire. Silere.
Typographis ſuadere vt illas li-
bel-

bellis impreſſis iuuent.

Viſitare loca ſancta pro indulgentijs.

Xenodochia, ægros, moribundos viſere.

Zelo animarum ardere: vt fiant ſanctiores, & magis idoneæ ad amandum Deum, ac animas è purgatorio liberandas,

Ad Mai. Dei Deiparæ Virg. & omnium Sanctorum gloriam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google